



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Disputatio IX. De Causa efficiente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Hæc debet esse omnium: & omiffis aliis probationibus, quæ afferri solent, probatur hæc vnicæ evidenti ratione, quia si posset producere compositum absque materia & forma, verbi gratia, hominem absque corpore & anima rationali, sequeretur quod esset homo & non esset homo, esset quidem ex hypothesi, quod produceretur; non esset autem, quia non includeret suas partes essentielles, quibus essentialiter constat; constat enim, ut suppono, homo essentialiter ex anima & corpore: & sane hæc ratio convincit conclusionem, quamvis non sequeretur imperfectio in Deo ex hoc, quod esset causa materialis aut formalis alicuius compositi, quia hoc non obstante non posset aliquid producere absque partibus intrinsicis essentialibus suis: & probaretur etiam, quod Deus non posset eminenter præstare quicquid potest formaliter præstare materia & forma; quia implicat quod vlla ratione faciat ignem aut hominem absque partibus essentialibus ignis aut hominis; unde illud axioma, Deus potest facere se solo quicquid potest præstare mediatis causis secundis, si vniuersaliter intelligatur, est falsum; quare addi debet ad eius veritatem, nisi in hoc faciendo esset implicancia aliqua.

CONCLUSIO II.

Potest supplere Deus causalitatem materiam. 46. Deus potest supplere causalitatem illam materiam, quæ dat formam esse, se solo dando ipsi esse & producendo ipsam absque vlla materia. Hæc est communis & certa, tum quia in hoc nulla potest assignari implicancia; tum quia de facto conseruat accidentia Eucharistica absque concursu materiam, nec difficilius ipsi est eas absque illo concursu conseruare, quàm producere. Verum quidem est quod hoc non faceret in genere causæ materialis, quia sic non posset eas producere aut conseruare, nisi recipiendo illas; hoc autem nequit facere, quia mutaretur physice, quod argueret in ipso imperfectionem: sed id faceret in genere causæ efficientis, nec est inconueniens quod causa efficiens suppleret defectum causæ materialis, in qua forma producit, quantum ad dandum esse formæ.

CONCLUSIO III.

Potest Deus supplere causalitatem formæ quæ daret esse materiam. 47. Deus non potest supplere causalitatem illam, quam in nostra sententia causa formalis exerceret circa materiam, per sui communicationem, bene tamen posset supplere causalitatem illam formæ circa materiam (si talis daretur) quæ forma dat esse materiam. Hæc est communis quantum ad primam partem, & probatur quia non potest facere se solo cum subiecto absque albedine, quod subiectum sit album, nec ut materia sit informata forma substantiali aqua: ergo nequit supplere illam causalitatem formæ circa materiam aut effectum formalem ad ipsam sequentem: quæ probatio multo facilior est, quam alia, quam adducunt communiter, nimirum quod suppletionem huiusmodi causalitatis sequeretur imperfectio in ipso, quam tamen nolo hic reicere, quia forte reduci potest vltimate ad illam à me propositam.

Secunda pars est contra Thomistas communiter, sed communis tamen apud alios auctores, qui tenent nobiscum materiam posse conseruari absque omni forma, quod supra probauimus disp. 3. & ex hoc ipso principio probatur conclusio, quia quando sic Deus produceret ac conseruaret materiam, profecto suppleret defectum istius causalitatis.

CONCLUSIO IV.

Quomodo Deus potest supplere causalitatem expulsiuam. 48. Deus potest supplere defectum causalitatis expulsiuæ, quam habet forma in ordine ad aliam formam, quam ex eodem subiecto expellit, quantum ad hoc, quod ipsemet solus posset tollere illam formam à subiecto illo absque interuentu formæ alterius. Hæc est absque controuersia vlla, & patet tum quia in hoc nulla est repugnancia; tum quia forma ignis verbi gratia, & calor dependent in conseruari à Deo libere illas conseruante: ergo si nolit exhibere concursum conseruatiuum, desinente esse in subiecto; sed potest id velle absque productione formæ contrariæ: ergo absque tali forma potest efficere, ut tollatur forma à subiecto.

Et si dicas quod tum non tolleretur formaliter, contra, quia vel intelligis per hoc quod non tolleretur ita, ut reuera non esset ibi illa forma, & hoc manifeste falsum est: vel intelligis, quod non tollatur per aliam formam positiuam, & hoc quidem verum est, sed non ad rem, quia nec asserit conclusio sic eam posse à Deo tolli; nec id venire potest in controuersiam: evidens enim est quod non posset tolli per formam absque forma.

CONCLUSIO V.

Dens non potest impedire causalitatem materiam, & forma circa totum aut se inuicem, supposita ipsarum vnione; potest vero supposito quocumque alio priori se tenente ex parte materiam, & forma; & potest etiam supposita vnione impedire ne vna forma expellat alteram. Hæc non habet vllam controuersiam præter eas, quas antea decidimus.

Probatur prima pars: quia ipsa vnio est causalitas productiua totius, & qua mediante educitur forma, & informatur materia, & consequenter implicat quod sit, quin sit totum, & quin causetur forma ac communicetur materiam. Quod si non esset causalitas productiua totius, sed illa causalitas sequeretur vnionem, & esset ab illa realiter distincta, valde difficile esset assignare rationem, cur Deus supposita etiam vnione nequiret impedire, quominus sequeretur totum: nec refert quod ille non posset supplere causalitatem ipsarum circa totum causando totum sine ipsis; nam inde non sequitur quin illam posset impedire in casu nostro: nam nequit ipse supplere causalitatem informatiuam formæ, & tamen potest illam impedire, posito quocumque præuio ex parte materiam & formæ, quod non sit actio productiua vnionis.

50. Probatur secunda pars, quia non necessitatur ex vi vllius præuij ad vnionem se tenentis ex parte materiam aut formæ ad concurrendum ad ipsam vnionem producendam: ergo posset quocumque tali non obstante, non concurrere, & consequenter eo etiam non obstante, impedire quo minus causerent totum aut seipsas.

Probatur tertia pars ex dictis supra disputatione 4. questione 3. ubi ostensum est plures formas substantiales non subordinatas posse esse simul in eadem materia de potentia absoluta: hinc enim sequitur quod possit impedire quo minus forma vnita materiam expellat alteram sibi contrariam ab eadem materia, ut patet.

DISPUTATIO IX.

DE CAUSA EFFICIENTE.

GGREDIMVR iam tractatum de causis extrinsecis corporum naturalium, ac aliarum rerum, quæ producuntur, ex quibus principalissima est causa efficiens, à qua propterea res, quæ producitur, desumit denominationem effectus.

QVÆSTIO I.

Quid sit causa efficiens.

1. Communiter describitur causa efficiens esse principium primum vnde, id est, à quo est mutatio accipiens; & quamvis verum sit quod hæc ratio conueniat soli causæ efficienti, & non materiali aut formali aut finali, quia res, quæ producitur, non dicitur produci à fine, sed propter finem: nec à materia, nec à forma, sed ex materia & per formam; tamen reuera mihi nunquam placuit: primo quia causa creans est causa efficiens, & tamen non potest dici proprie esse principium, unde est mutatio, quatenus est creans; neque enim, dum Deus creat Angelum aut materiam primam, fit aliqua mutatio proprie dicta, cum nullum subiectum mutetur à priuatione ad formam; & quamvis Angelus productus transeat à non esse ad esse, reuera tamen non dicitur proprie mutari. Secundo & præcipue quia non sufficienter explicatur hic, cur dicatur res ab efficiente potius, quam

Dens non potest impedire causalitatem materiam & forma circa totum aut se inuicem, supposita ipsarum vnione.

Communis defectus est, quod sit causa efficiens reus.

et materia produci, verbi gratia, compositum non solum dependet ab efficiente, sed etiam à materia, & idem est de forma educta: ut autem intelligeremus an possent dici à materia produci, sicut dicuntur produci ab efficiente, oportet significare, quo modo particulari efficiens concurrat ad earum productionem, ut ab illa potius quam à materia dicantur produci, & si hoc non fiat, non declaratur sufficienter natura causæ efficientis, ut distinguitur ab aliis causis; ille autem modus particularis non significatur sufficienter in prædicta descriptione, præsertim si explicetur solummodo, ut communiter solent auctores illam explicare; sed quidquid sit de eius sufficientia, vix enim vlla descriptio afferri potest, quin additis aut subintellectis aliis particulis defendi possit, aliam clariorem proponemus.

CONCLUSIO I.

Melior
descriptio
causæ effi-
cientis.

2. Bene describitur causa efficiens esse quæ secundum suum esse reale facit, ut aliquid existat realiter, neque cum eo, quæ talis, compositionem faciens, neque ipsum componens. Hæc in re debet esse communis, & patet, quia omni & soli causæ efficienti convenit, & declarat naturam eius, quatenus distinguitur à cæteris causis absque superfluitate, ut patebit discurrendo per singulas particulas. Dicitur causa, quia in hoc convenit tanquam in genere cum cæteris causis.

Dicitur quæ secundum suum esse reale facit ut aliquid existat realiter, id est non quatenus existit obiective in intellectu, ut distinguitur à causa finali, quæ non concurrat ad productionem alicuius, nisi quatenus existit obiective in intellectu, & movet voluntatem. Dicitur neque cum eo, quæ talis, compositionem faciens, ut distinguitur à causa materiali, ex cuius potentia educitur forma, nam illa secundum suum esse reale facit ut forma illa existat, sed non nisi recipiendo ipsam, ac consequenter faciendo cum ipsa compositionem, siue per se, siue per accidens. Additur in eadem particula, quæ talis, quia causa efficiens aliquando facit compositionem cum effectu, quem producit, quando illum in se ipsa producit, ut intellectus producit in se intellectionem, sed non quatenus efficiens facit illam compositionem, sed quatenus est causa materialis, in qua ille effectus producit. Dicitur denique neque ipsum componens, ut excludatur à ratione efficientis materia & forma secundum quod causant compositum: nam quamvis secundum suum esse reale concurrant ad productionem compositi, & faciant partialiter ut existat, & quidem per influxum realem; tamen id non faciunt nisi componendo ac constituendo ipsum, tanquam partes effectuales physice ipsius; efficiens autem facit ut res existat, non constituendo ipsum tali modo.

Iuxta hoc autem posset explicari communis definitio, intelligendo per ly unde, aut à quo hunc particularem modum causandi iam descriptum: & restringendo definitionem non ad causam efficientem ut sic, sed ad causam efficientem cum dependentia à materia, qualis est causa efficiens spectans ad considerationem physicam.

CONCLUSIO II.

Quæ cau-
salitas
causæ effi-
cientis.

3. Causalitas causa efficientis in actu primo est virtus illa, à qua habet posse aliquid producere, causalitas in actu secundo, à qua formaliter denominatur causare actu effectum, est actio ipsius. Prima pars est extra controuersiam, & patet quia nihil aliud intelligitur per causalitatem in actu primo, quam illud, à quo habet res formaliter denominari causa in actu primo, etiam cum nihil producit; & in hoc distinguitur causalitas in actu primo, & in actu secundo, quod hæc non denominet causam, nisi quando actu causat; illa vero denominat, etiam quando non causat actu: sed illa virtus est talis: ergo est causalitas eius in actu primo.

Confirmatur, quia eo ipso quo res habet talem virtutem, potest vocari causa, & eo ipso, quo non habet illam, nequit vocari causa; nec aliqua alia forma potest conveniens assignari, quæ tribuat formaliter denominationem causæ, quam illa virtus: ergo illa virtus tribuit denominationem illam formaliter, & consequenter est causalitas in actu primo.

Secunda pars est etiam communis contra Soncinam 5. Met. q. 4. Iamellum ibidem. Fonseca ibidem q. 13. s. 3. Ma-
sum hic q. 3. quorum sententiam quantum ad modum loquendi præferunt Complutenses disp. 10. n. 135.

Probatur autem, quia posita actione sine vlllo alio denominatur causa actualiter agere, & efficere ac causare: ergo illa causalitas sola est in actu secundo.

Confirmatur, quia frustra poneretur aliquid aliud, quod esset forma denominans causam causantem præter actionem: ergo actio est forma sic denominans, & consequenter causalitas in actu secundo.

Causalitas
causæ effi-
cientis
est actio
eius.

4. Dices cum Complutensibus actionem non dare illam denominationem, nisi ut exercitam; sed ut sic, non est actio in abstracto, sed in concreto, idem enim est actio exercitata, ac agere seu causare, non vero idem est ac actio.

Confirmatur, quia si per impossibile poneretur actio absque agente, non daretur causalitas formaliter, sed daretur actio: ergo actio formaliter non est idem ac causalitas.

Respondeo negando maiorem: actio enim secundum se est forma, quæ tribuit illam denominationem, sicut albedo secundum se est forma, quæ tribuit denominationem albi: & sane dicere, quod actio non tribuat illam denominationem nisi ut exercitam, mihi videtur idem ac nugari verbis: nam si actio ut exercitata, sit idem ac agere seu causare, dicere quod agere, & non actio sit, quod tribuat denominationem illam, ratione cuius potest dici causam agere, est dicere quod agere tribuat denominationem, à qua dicitur agere: quod est ridiculum.

Confirmatur, quia non bene diceretur quod album tribueret denominationem album, sed bene dicitur quod albedo tribuat illam denominationem: ergo non bene dicitur quod agere tribuat denominationem agere, sed debet dici quod actio tribuat illam denominationem.

Ad confirmationem obiectionis respondeo negando sequelam; tam bene daretur enim causalitas in illo casu, quam actio: & si per impossibile daretur agere absque causa, tam bene sequeretur non dari causalitatem, quam sequitur eam non dari, si per impossibile daretur actio absque causa; unde ex hoc argumento æque sequeretur causalitatem non consistere in agere, ac in actione.

Obiicies. Causalitas debet esse in causa; sed actio est in effectu: ergo causalitas distinguitur ab actione.

Confirmatur, quia actio est quid realiter distinctum ab agente: ergo egreditur ab illo mediante aliquo alio modo: sed ille modus non est aliud quam causalitas: ergo causalitas distinguitur ab actione.

Respondeo, in sententia communis falsam esse maiorem; in sententia vero Scorsorum falsam esse minorem; & sane absolute & simpliciter ubicumque ponitur actio, ibi poni debet causalitas, siue ex parte causæ, siue ex parte effectus & termini.

Ad confirmationem respondeo negando consequentiam; quia quemadmodum illa causalitas egrederetur seipsa absque alio modo secundum adversarios, ne detur processus in infinitum: ita actio potest se ipsa egredi absque modo alio distincto.

Obiicies secundo. Vna causa vnam tantum habet causalitatem; sed plures potest habere actiones: ergo causalitas non coincidit cum actione.

Respondeo, si vna tantum sit causalitas vnius causæ, vnam etiam esse actionem ipsius, & si plures sunt actiones, plures esse causalitates: eadem enim est ratio multiplicationis utriusque: unde si vera est maior, falsa est minor; & si vera est minor, falsa est maior.

Hic ostendendum esset in quo consistit actio agentis, & in quo subiectatur: sed de hoc satis actum in Logica.

QVÆSTIO II.

Quomodo substantia producat effectum alias substantias.

6. Prima sententia est substantias, quæ producuntur de nouo, produci à solo Deo immediate, ita Averroës 1. de generatione, qu. 10.

Secunda sententia est eas produci à sola aliqua intelligentia separata, sic Avicenna lib. 1. de sust. c. 5.

Tertia

Tertia sententia est eas produci à solis substantiis celestibus: ita *Raguseus* disp. 16. c. 16.

Quarta sententia est substantiam nullo modo concurrere effectiue ad productionem earum, sed eas produci ab accidenti tanquam à causa principali. Hæc est *Pereyre*, 8. *Physicorum* c. 11. 12. & 13.

Quinta sententia est substantiam, etiam sublunarem esse principalem causam productiuam alterius substantiæ sublunaris, sed non attingere tamen immediate productionem illius, sed illam attingi ab accidentibus solis immediate, licet non nisi in virtute substantiæ. Hæc est *Thomistarum* communiter cum *D. Th.* 1. p. q. 54. a. 3. quos sequuntur *Fonseca* 5. *Met. cap.* 2. quæst. 6. *Complutenses* hic disp. 10. num. 22. *Auersa* quæst. 137. sect. 5.

Sexta sententia est substantiam sublunarem attingere immediate productionem substantiæ productæ, sed accidentia etiam attingere æque immediate eandem productionem. Hanc tenet *Suarez* disp. 18. *Met. sect.* 2. & plures recentiores.

Septima sententia est substantiam solam attingere immediate illam productionem, & nullo modo attingi eam ab accidentibus immediate: ita *Scotistæ* omnes cū *Doct.* 1. d. 37. & in 4. d. 12. q. 3. quem sequitur *Durandus* 2. d. 1. q. 4. *Occamus* 2. q. 23. *Dandinus* 1. de anima q. 8. *Valles* contr. 3. *Arriaga* disp. 11. §. 2. & plures alij.

Pro solutione huius grauissimæ controuersiæ aduertendum, illud attingere immediate productionem substantiæ, à quo immediate egreditur actio, per quam producit. Deinde aduertendum esse mentionem hic potissimum de substantia corporea, quatenus est productiua independentem ab intellectu & voluntate.

CONCLUSIO I.

7. *Nec Deus solum, nec Intelligentia separata sola, nec corpora caelestia sola producunt effectiue omnes substantias corporeas, quæ de nouo producuntur; sed etiam agentia sublunaria corporea, concurrunt etiam immediate ad aliquas substantias, quæ de nouo producuntur.* Hæc est contra tres primas sententias.

Probat autem, quia in ipsi sunt substantiis sublunariibus, verbi gratia in igne est sufficiens proportio & virtus ad producendas alias substantias, & gratissime recurreretur siue ad solum Deum, siue ad intelligentiam separatam, quæ esset datrix formarum, siue ad corpora caelestia.

Confirmatur, quia substantiæ sublunares habent virtutem producendi accidentia, & dispositiones ad formas substantiales aliquas, ut fatentur aduersarij, quia alias non esset potior ratio, cur ad præsentiam ignis, verbi gratia, alius ignis produceretur, quam aqua: ergo cum nihil impediatur, dicendum est etiam quod habeant virtutem productiuam formatum aliquarum substantialium. Dixi autem in conclusione omnes substantias corporeas, quia ad Deum solum recurrendum est, quantum ad productionem animæ rationalis, & etiam probabiliter aliarum animarum, ut alias dicemus.

8. *Dices*, non habetur maior experientia, quod ignis generet ignem, quam quod homo generet hominem; sed homo non generat hominem nisi dispositiue: ergo nec ignis ignem.

Confirmatur, quia eadem experientia, qua probatur ignis producere ignem, constat animalia generata ex putri materia produci à causis sublunariibus; sed fallit experientia quantum ad hoc; nam illa animalia non producuntur à sublunariibus, nisi dispositiue, sed producuntur vel à solo Deo, vel à corporibus caelestibus: ergo idem dicendum est de productione ignis.

Confirmatur secundo, recurrendum est ad Deum, vel ad corpora caelestia in productione immediata animalium imperfectorum generatorum ex putri: ergo etiam in productione animalium perfectorum.

Respondetur negando consequentiam, quia non experientia sola colligimus potius ignem producere ignem, quam hominem producere hominem; sed quia præterea non constat nobis, quin ignis habeat virtutem sufficientem ad producendam formam ignis, quemadmodum constat, quod non possit homo immediate producere animam rationalem.

Ad confirmationem primam respondeo, similiter negando

consequentiam propter eandem rationem, quia non experientia sola dicimus ignem producere alium ignem, sed quia præterea non est inconuenientia vlla quod illum producat: esset autem inconuenientia, quod illa animalia producerentur à causis secundis, quia supponimus non adesse causas sublunares, quæ sint tam perfectæ.

Ad secundam confirmationem respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod, ut supponitur, adsint causæ sublunares, quibus ascribi possit productio animalium perfectorum; non vero quibus possit attribui animalium imperfectorum, quando generantur ex putri.

Obiicies secundo. Nec Angeli, nec corpora caelestia habent virtutem productiuam sui similium: ergo nec sublunaria habent talem virtutem.

Respondeo negando consequentiam, tum quia non constat, quod producant sibi similia Angeli aut corpora illa; tum quia Angeli non possunt produci nisi per creationem, qualis actio non competit causis secundis: sed sublunaria possunt produci per generationem, qualis actio competere potest causis sublunariibus. Retorqueri etiam potest argumentum: Nec Angeli nec corpora caelestia possunt producere dispositiones ad sibi similia producenda: ergo nec sublunaria: hæc consequentia non valet: ergo nec illa aduersariorum.

CONCLUSIO II.

10. *Non sola accidentia attingunt immediate productionem substantiæ.* Hæc est iuxta sextam, & septimam sententiam.

Probat primo, quia aliqua accidentia possunt seipsis immediate producere effectiue alia accidentia, verbi gratia calor calorem; & colligitur ex eo, quod ad applicationem corporis calidi producatur calor; nec dari possit vlla ratio cur illa productio non attribuat calor: sed ad applicationem substantiæ ignis producitur alia substantia ignis; nec est vlla ratio cur illa productio non attribuat igni: ergo non sola accidentia immediate producunt substantiam.

Confirmatur, quia virtus immediate actiua est perfectior cæteris paribus: ergo si ascribatur accidentibus, debet ascribi substantiæ, quæ est perfectior accidentibus, si nihil impediatur.

Dices esse proprium substantiæ infinitæ agere per suam substantiam immediate absque virtute realiter distincta; ergo non potest id competere substantiæ creatæ.

Contra, non est ita proprium substantiæ infinitæ, quin conueniat accidenti creatæ secundum aduersarios: ergo non debet dici esse ita proprium ipsi, quin conueniat substantiæ creatæ.

Dices illam virtutem attribui accidenti necessario, quia est instrumentum substantiæ, nullam vero esse necessitatem, cur tribuatur substantiæ.

Contra, quia si intelligas quod accidens sit virtus substantiæ in ordine ad productionem alterius substantiæ, petis principium, hoc est enim quod negatur. Deinde, si virtus immediate actiua vlla ratione tribuatur accidentibus, quæ sunt creaturæ, cur non tribueretur ipsi substantiæ creatæ, aut cur est necesse tribuere substantiæ virtutem à se realiter distinctam in ordine ad productionem immediatam substantiæ alterius, & non est necesse tribuere talem virtutem accidenti in ordine ad productionem alterius accidentis? Et si tribuatur accidenti ex eo quod sit instrumentum substantiæ, quare non tribueretur ipsi substantiæ?

11. *Probat* secundo conclusio, quia implicat quod imperfectius possit immediate producere, tanquam causa totalis effectiua aliquid se ipso perfectius: sed substantia est perfectior quam sit accidens: ergo nequit immediate produci à solo accidente tanquam à causa effectiua. Hæc est principalissima probatio ostensiuæ huius conclusionis, & propterea stabili debet & declarari magis refutatione responsum, quas aduersarij solent adhibere.

Aliqui, quos sequitur Pererius, dicunt accidens esse quidem imperfectius substantia in ratione entis, esse tamen perfectius in ratione actiui, atque adeo posse ipsum producere substantiam.

Contra primo, quia virtus agendi in accidente non est distincta realiter ab entitate accidentis: ergo si accidens est perfectior substantia in ratione actiui, erit etiam perfectior in entitate, quod est absurdum, & contra responsum.

Contra

Substantia attingit immediate productionem substantiæ.

Imperfectius nequit producere perfectius.

Agentia sublunaria concurrunt ad productionem substantiarum.

Contra secundo, quia si accidens est perfectior in ratione actiui quam substantia, nihil impedit quo minus possit producere substantiam, tanquam causa principalis, quod est contra aduersarios, aut si non sufficit maior perfectio in ratione actiui ad hoc, ut producat tanquam causa principalis substantiam, sed ulterius ad hoc requiritur maior vel æqualis perfectio in ratione entis; perfectio illa maior perfectio non sufficit etiam, ut ab ipso solo substantia procedat.

Contra tertio, quia si posset aliquid perfectius in ratione actiui, & imperfectius in entitate producere aliud, ex productione; effectus perfectioris non potuissimus colligere à posteriori perfectionem maiorem causæ, quod videtur absurdissimum.

12. *Alij, cum quibus videtur sentire Amicus*, aiunt imperfectius non posse per modum principij quod producere perfectius, bene tamen per modum principij quoniam potentia generatiua ignis est imperfectior igne, & tamē per ipsam tanquam per principium quod producitur ignis: ergo accides quamuis sit imperfectius substantia, & quamuis propterea non possit producere substantiam ut principium quod, potest tamen illam producere tanquam principium quod.

Contra, quia falsum est quod virtus generatiua ignis sit imperfectior realiter ipso igne, quia identificatur ipsi realiter, & solum formaliter vel ratione distinguitur ab ipso: ergo nec principium quod potest esse imperfectius realiter quam terminus productus; & consequenter quandoquidem substantia sit realiter perfectior quocumque accidenti, ut supponitur, non potest accidens vllum esse principium quod immediate productiuum substantiæ.

Contra secundo, quia in sententia Aduersariorum Accidens non solum est principium quod, sed principium quod productiuum substantiæ: ergo responsio prædicta non facit ad propositum. Probatur antecedens, quia secundum ipsos potest ab ipso substantia produci, etiam si nullum aliud existat, quod producat ut quod illam substantiam; nam colligunt ipsi suam sententiam ex eo, quod ad applicationem accidentis producatur substantia, non applicata vlla substantia, cui illa productio attribui possit: sed quod producit aliquid se solo, producit ut quod: ergo accidens producit ut quod secundum ipsos.

Morisani, aut potius P. Iesuita aliquis præceptor ipsius (nam mihi certum videtur illum Cursum, qui impressus est nomine Morisani, compositum esse ab aliquo Iesuita in Vniuersitate Duacena, ubi ille studuit; nam sæpius citat Iesuitas hoc modo, Patres nostræ Societatis) plures dat responsiones nullius momenti. Melior est, quod forma accidentalium cum materia sit perfectior, quam forma substantialis: ergo potest cum materia producere formam substantialem.

Sed quidquid sit de antecedenti, negatur consequens, quia causa efficiens totalis debet esse perfectior effectui: materia autem non efficit cum forma accidentali formam substantialem efficienter, sed sola forma accidentalis est causa efficiens proxima in sententia, quæ impugnatur hic.

13. *Communior Thomistarum responsio* est quod aliquid imperfectius possit producere perfectius, non tamen in virtute sua propria, sed in virtute alterius æque perfecti aut perfectioris: & sic dicunt quod accidens producat adæquate substantiam, non in virtute sua propria, sed in virtute alterius substantiæ.

Hanc responsionem impugnat Scot. 4. d. 1. 2. q. 3. summa impugnationis consistit in hoc: quod dicitur quod accides in virtute substantiæ aliam substantiam producit, vel intelligitur, quod producat per aliam virtutem communicatam ipsi à substantia, ut tenet Capreolus; vel quod agat in virtute substantiæ per hoc quod ipsum sit virtus substantiæ, ut tenet Cætanus. Si dicatur primum, contra est, quia gratis, & absque fundamento vlllo dicitur, quod communicetur accidenti talis motus: & deinde illa virtus quæ communicatur ipsi, vel est substantia, vel est accidens: si substantia, ergo vera conclusio: si accidens, ergo erit imperfectior substantia producenda, non minus quam ipsum accidens cui communicatur; & consequenter quemadmodum ipsum accidens sine illa virtute non posset producere substantiam, quia est imperfectius: ita nec per solam

virtutem poterit illam producere.

Si dicatur secundum, præterquam quod sit improprium locutio, quod aliquid agat in virtute substantiæ ex eo, quod sit virtus substantiæ; adhuc manet difficultas præmissa, quia ex hoc quod accidens sit virtus substantiæ, non sequitur quod sit æque perfectum aut perfectius quam substantia: ergo ex eo non sequitur, quod possit producere substantiam. Deinde ex natura sua propria habet esse virtutem substantiæ: ergo si ex eo quod sit virtus substantiæ possit producere substantiam, etiam ex natura & virtute sua propria potest producere substantiam: & sic distinctio illa Cætanus est impertinens.

Confirmatur primo, quia calor ex eo quod sit virtus substantiæ, vel habet aliquam virtutem aut perfectionem intrinsecam, quam non haberet, si non esset virtus eius, vel non haberet. Si non haberet: ergo per hoc quod sit virtus substantiæ, non potest producere magis, quam si non esset; si habet, ergo ultra entitatem caloris recipit aliquid aliud, & hoc esset conuenire cum sententia Capreoli supra impugnata.

Confirmatur secundo, quia quæro cur calor, verbi gratia, dicatur esse virtus substantiæ in ordine ad producendam aliam substantiam: si propterea quod substantia non producat aliam substantiam nisi per calorem; ergo potest dici, quod sit virtus substantiæ in ordine ad producendum alium calorem: & consequenter potest dici hoc non obstante, quod sit causa principalis productionis substantiæ, quemadmodum est causa principalis caloris: sed hoc est contra aduersarios: ergo.

14. *Complutenses disp. 10. quest. 5. num. 43.* dicunt accidentia per hoc, quod sint virtus substantiæ, recipere aliquid virtualiter distinctum ab illis, ratione cuius eleuantur ad producendum aliquid seipsis perfectius.

Sed contra, quia causa totalis immediate effectiua debet esse realiter æque, aut magis perfecta quæ effectus; sed accidens non obstante illa eleuatione, per illud virtualiter distinctum, adhuc est realiter imperfectius substantiæ: ergo, non obstante illa eleuatione nequit producere substantiam.

Confirmatur, quia vel per illud virtualiter distinctum remanet in esse accidentis, vel non: si sic, ergo manet difficultas principalis: si non, ergo sit substantia, & præterquam quod hoc sit absurdum, adhuc vera est conclusio. Adde eleuationem illam per aliquid virtualiter distinctum esse excogitatum gratis ad euadendam difficultatem.

15. *Probatur tertio conclusio*, quia sequeretur quod substantia, qua substantia est, non esset causa principalis productiua alterius substantiæ, sed quod accidens esset talis causa: sed hoc est contra aduersarios; ergo vera est conclusio. Probatur maior; illa non potest dici esse causa principalis effectus, à qua effectus immediate non emanat aut producitur, sed effectus secundum aduersarios non emanaret immediate à substantia, sed ab accidente: ergo accidens esset causa principalis, non substantia. Probatur maior hæc, quia non potest ostendi cur substantia esset causa principalis effectus, si nullo modo immediate influit in ipsum: nam quod influeret in ipsum mediate, quatenus scilicet influit in accides, quod accides influit in substantiam, non arguit causalitatem principalem; alias autem esset causa principalis nepotis, non vero patris ipsius, quod est absurdissimum, & alias etiam substantia esset causa principalis caloris producti per calorem sibi inherenterem.

Confirmatur hoc quia si sufficeret ad hoc, quod substantia diceretur causa principalis alterius substantiæ, quod producat accidens productiuum eius, aut quod habeat accidens tanquam virtutem produendi ipsam, sequeretur quod Deus esset causa principalis creaturarum, quæ multis immediate ipsas non produceret, modo produceret ipsas mediate per alias causas secundas, quæ essent virtutes Dei in ordine ad producendum: & sic non posset commode impugnari sententia Durandi de qua postea: sed hoc est inconueniens: ergo.

16. *Obiicies primo* substantia nequit immediate & formaliter producere aliam substantiam: ergo accidens solum immediate illam producit. Probatur antecedens à Complutensibus.

pluribus ratione Divi Thomæ: In creaturis esse & operari distinguuntur realiter: est enim proprium Dei, quod sit sua operatio: ergo potentia, quæ ordinatur ad esse seu existentiam, distinguitur realiter ab illa, quæ ordinatur ad operari: sed essentia substantiæ est potentia ordinata ad esse substantiale, & potentia operatiua est potentia ordinata ad operari: ergo substantia & potentia operatiua distinguuntur realiter. Probant primam consequentiam, quia potentia distinguuntur realiter, si actus sic distinguantur.

Respondetur primo, si loquamur de operatione, id est actione, qua producitur aliquis effectus, falsum esse in magis communi sententia, quod sit proprium Deo esse suam operationem; nam actio quæ producit ad extra, distinguitur realiter ab ipso, quandoquidem se teneat ex parte effectus, ut communiter ipsimet Thomistæ & recentiores tenent.

Respondetur secundo, hanc objectionem æque militare contra aduersarios: nam sequeretur quod calor non posset producere per semetipsum alium calorem; quandoquidem potentia ad esse ipsius, quæ est ipsius essentia, debeat secundum hanc objectionem distinguere à potentia ad operari ipsius: quæ instantia mihi est evidens.

Respondetur tertio directe in forma, negando antecedens cum consequentia suæ probationis: quemadmodum enim eadem potentia materiæ primæ potest respicere plures formas substantiales, & eadem causa efficiens respicere plures effectus, & idem intellectus plures intellectiones: ita eadem realiter potentia substantiæ potest respicere & esse & operari, unde negatur probatio consequentiæ. Adde falsum etiam esse, quod substantia dicat potentiam proprie dictam ad esse, seu existentiam, quandoquidem hæc non distinguatur realiter à substantia. Sed supposito quod distingueretur, adhuc bene posset substantia per semetipsam & respicere existentiam, tanquam aliquid, per quod recipiat esse extra causas, & operari, tanquam aliquid, per quod posset producere aliquid aliud, & sic eadem substantia, ut operatiua quidem, formaliter respiceret primo operari, sed simpliciter & realiter respiceret primario esse, & secundario tantum operari; in omni autem sententia aliquid potest respicere duo, modo vnum respiciat primario, & alterum secundario: ex quo patet ad doctrinam, quam tradunt *Complutenses num. 23*, §. *sed hæc solutio*.

17. *Obijciens secundo*, Accidentia se solis destrunt formam substantialem: ergo se solis producant formam substantialem, quia nisi producerent unam formam substantialem, aliam non destruerent.

Confirmatur, quia actio alteratiua est productiua substantiæ: sed accidentia sunt sufficiens principium actionis alteratiuæ: ergo & generatiuæ.

Confirmatur secundo, experientia constat substantias creatas non agere, nisi mediantibus accidentibus; ergo accidentia attingunt productionem substantiæ.

Respondetur, negando antecedens: solummodo enim destrunt formas substantiales dispositiue; unde ut destruantur, debet adesse aliud agens, quod ipsas destruat. Ex quo patet ad confirmationem primam distinguendo antecedens: dispositiue concedo, formaliter nego antecedens & consequentiam.

Ad secundam confirmationem, *respondeo primo*, inde solum sequi ad summum, quod accidentia partialiter concurrant immediate ad productionem substantiæ.

Respondetur secundo, distinguendo antecedens, tanquam principia disponentibus, concedo antecedens, tanquam immediate attingentibus viuentis effectus qui producuntur à substantiis, nego antecedens: & distingo etiam consequens; dispositiue concedo, immediate & formaliter, nego consequentiam.

18. *Dices*: imperfectius potest corrumpere perfectius, non solum dispositiue, sed etiam immediate & formaliter: sic enim ignis corrumpit hominem: ergo potest etiam producere perfectius.

Respondet Mastrius ad hanc replicam ex doctrina quadam, quæ habetur in additione ad *Scotum in 4. di-*

scuss. 12. quæst. 3. litt. x. sed responsio satis obscura est, & non necessaria ad solutionem difficultatis huius, ut legenti facile constare potest; nec additiones omnes ad *Scotum* sunt magnæ autoritatis.

Respondetur ergo breuiter, negando consequentiam, quia ad destructionem vnius sufficit productio alterius incomparabilis; unde cum forma ignis sit incompatibilis cum forma viuentis, quicumque potest producere formam ignis, potest corrumpere formam viuentis, nec ad destruendum viuentis sequitur maior virtus, quam quæ requiritur ad producendam formam ignis in eadem materia.

Ad quod addo contra eundem *Mastrium*, bene posse destrui viuentem per virtutem accidentis vnius aut plurium, quia licet non sit formalis repugnantia inter formam viuentis, & accidens, est tamen aut esse potest formalis repugnantia inter dispositionem necessariam ad formam viuentis, nempe ad animam, & accidentia alia, quæ virtute aliorum similium accidentium possunt produci; unde si producerentur illa accidentia destrueretur dispositio necessaria ad formam viuentis, & consequenter destrueretur forma viuentis, & sane sapius hoc modo destruntur verisimiliter animalia, & ipsimet homines: vel propter excessum aliquorum accidentium ut caloris, verbi gratia, vel propter defectum: & tam excessus, quam defectus iste oriri potest, & verisimiliter solet, ob virtutem aliorum accidentium applicatorum: & hinc negabimus suo loco in generatione viuentium axioma illud verum esse: Corruptio vnius est generatio alterius.

19. *Instabis* contra hoc: Si posset accidens corrumpere substantiam: ergo posset non solum viuentem, sed & quicumque substantia corrumpi virtute accidentis absque concursu substantiæ, & consequenter posset dari corruptio alicuius substantiæ, etiam non viuentis absque generatione viuentis: sed hoc est contra prædictum axioma & communem sententiam *Scotistarum*. Probatur sequela, quia posset accidens destruere dispositionem necessariam ad conseruationem aquæ, & ea destructa destrueretur aqua, quamuis nulla alia forma substantialis succedere atque adeo relinqueretur materia prima nuda absque vlla forma substantiali.

Respondetur negando sequelam, quia accidens non potest corrumpere substantiam non viuentem, nisi introducendo in ipsam alia accidentia (suppono enim hic accidentia subiectari in toto composito non viuenti) sed quamdiu introducit accidentia in ipsam, non potest illa corrumpi, immo debet necessario remanere, ut accidentia illa conseruentur; unde ut destratur illa substantia, debet interuenire concursus alicuius substantiæ, quæ possit introducere formam substantialem in materiam eius; qua forma introducta, destruetur illa substantia. Quod si illæ dispositiones accidentiæ subiectarentur in materia prima mediante quantitate, & non in composito, ut plurimi tenent, fateor, quantum est ex vi accidentis præcise, posset destrui substantiam (ex suppositione quod non posset connaturaliter conseruari absque dispositione accidentali conseruatiua) absque concursu substantiæ, & sic posset materia prima conseruari absque omni forma substantiali, & non esset necessarium, quod corruptio vnius, etiam non viuentis, esset generatio alterius: sed tamen de facto hoc nunquam contingit; quia quoties de facto peruenitur ad illud instans, in quo verum est dicere, iam non est aliqua pars dispositionis necessario conseruatiuæ formæ substantialis, adeo aliqua causa, quæ producat formam substantialem, & consequenter quæ generet aliam substantiam: & si non ad sit causa secunda, recurrendum est ad causam primam, quæ disposuit de facto nunquam tollere concursum, quo conseruat unam formam substantialem, quin producat alia forma substantialis: loquendo de non viuentibus.

20. *Obijciens tertio* fundamentum principale recentiorum aduersariorum: Experientia constat, multas substantias de nouo produci, quarum non potest assignari causa aliqua immediata, quæ sit substantia, saltem tam perfecta quam sint substantiæ illæ productæ: ergo dicendum est quod accidentia illa immediate producant substantiam, quod accidens illa immediate producant substantiam, & quod

R.

& quod

& quod imperfectius possit producere quid perfectius seipso. Probatur antecedens, quia ferrum candens producit ignem, & calor solis transiens per vitrum concavum: & semen hominis immediate producit corpus hominis: & metalla generantur in visceribus terræ: & rana generantur ex putri materia sine præsentia alterius tanæ, aut causæ substantialis sufficientis ad illam productionem.

Respondetur, negando antecedens: & ad illas experientias, Respondetur primo generaliter, quod quotiescunque aliquis effectus producit sine applicatione causæ perfectioris, vel æque perfectæ, cui possit illa productio adscribi, recurrendum sit ad Dominum Deum, tanquam ad auctorem naturæ, cui incumbit supplere defectus causarum secundarum efficientium sic, ut quotiescunque reperit ultimas dispositiones ad formam aliquam, quam nulla causa secunda tum applicata producere potest, ipsemet connaturaliter loquendo debeat eam producere, quemadmodum producit animam rationalem positis ultimis dispositionibus ad illam.

Dices cum *Auerſa*, esse valde inconueniens recurrere ad Deum in operationibus, quæ tam ordinariæ sunt; sed potius dicendum quod in causis secundis sit virtus sufficiens ad illas.

Respondeo, non esse inconueniens, sed necessarium recurrere ad Deum, quoties non potest assignari causa secunda sufficiens, etiam si singulis momentis producerentur; at certe imperfectius nequit esse causa sufficiens ad producendum effectum perfectiorem. Et ex ipso nec aduersariis in casibus valde ordinariis, nempe quoties moritur aliquod animal, plurimi recurrunt ad Deum, tanquam ad causam immediate productiuam formæ cadaueris, quam tum fingunt produci in materia primæ, & alii ex ipsis recurrunt ad alias causas vniuersales.

Soluntur
experien-
tiæ prædi-
ctæ.

21. *Respondeo secundo* in particulari ad illas experientias, ignem, qui producit ad applicationem ferri candentis, vel produci ab igne reperto in poris iltius ferri, vel à corpore aliquo celestia; quo etiam producit ignis productus ad applicationem caloris transiens per vitrum; & ignis ille, qui excutitur è silice (si tamen elementa non reperiuntur formaliter in mixto) & mineralia in visceribus terræ. Ad semen dico, quod seipso non sufficit ad generationem vilius animati immediate, sed potius est materia secunda, ex qua corpus animati producit ad causas circumstantibus. An autem anima, qua postea informatur istud corpus, producatur à corporibus celestibus, concurrentibus, vel non concurrentibus causis sublunariis, dependet ab alia questione, an celestia corpora sint perfectiora animalibus, de quo suo loco, quod si corpora celestia non sufficiunt, recurrendum est ad ipsum Deum.

Dices, hinc sequitur, quod equus non generet alium equum. *Confirmatur*, si ignis non produceret aliud, quam dispositionem ad ignem, non diceretur producere alium ignem; ergo si animal non produceret, nisi dispositionem ad aliud animal, non debet dici ipsum producere.

Respondeo, id certum esse de generatione immediata, sicut & certum est hominem non generare immediate alium hominem: sed tam equum, quam homo dicuntur generare alium equum & hominem; quia effundunt semen, ex quo adaptatur corpus eius cum talibus dispositionibus, quæ connaturaliter exigunt infusionem animæ, & ad quas propterea sequitur illa infusio.

Ad confirmationem respondeo primo negando antecedens. *Respondeo secundo* negando consequentiam: & disparitas est, quod ignis non habeat solum virtutem immediate productiuam dispositionis, sed etiam ipsiusmet ignis; unde posset censei non producere ipsum, nisi ipsummet immediate produceret. Equus autem non habet virtutem immediate productiuam alterius equi, sed solum productiuam dispositionis præuiæ, & consequenter quoties illam dispositionem producit, potest dici producere equum, quantum est ex parte sua, quia fecit totum quod potuit in ordine ad illam productionem. Sed hoc totum est de nomine, & parum propterea curandum.

22. *Replicabis* cum aduersariis: ille concursus, quo Deus supplet defectum causæ secundæ, vel esset naturalis,

vel supernaturalis, & miraculosus: non naturalis, tum quia Deus nihil agit naturaliter, tanquam causa particularis; tum etiam, quia sequeretur, quod aliqui effectus particulares possent naturaliter produci à diuersis causis particularibus. Non secundum, quia alias miraculose producerentur rana ex putredine & animalia alia omnia, quæ immediate producuntur à solo Deo, si ipse solus producit illorum animam.

Respondeo illum concursus esse naturalem, sicut est concursus quo producit animam rationalem, quia est iuxta connaturalem exigentiam creaturarum; unde nego subsumptum pro prima parte, nempe, quod concursus ille non sit naturalis. Ad cuius primam probationem, respondeo esse questionem de nomine, an Deus dici debeat causa vniuersalis, vel particularis talis effectus: si enim intelligatur per causam particularem illa, quæ se sola producit immediate effectum, dicendus erit Deus causa particularis; nec propterea tamen ageret miraculose, sed naturalissime; si vero intelligatur per causam vniuersalem illa, quæ non magis ex se determinatur ad vnum effectum, quam ad alios omnes; aut illa, quæ hic, & nunc agit propter curam vniuersalem, quam habet supplendi defectus aliarum causarum, erit dicendus Deus causa vniuersalis talis effectus. Et eodem modo vel simili respondendum erit ipsis aduersariis, si queratur ab ipsis quomodo Deus concurrat ad productionem animæ rationalis, ac formæ cadaueris.

Ad secundam probationem subsumpti respondeo non esse inconueniens, quod idem effectus in specie possit produci à diuersis specie causis, quod ipsis aduersariis fatendum est: nam concedunt rana aliquando produci seminis virtute, aliquando sine semine. Quod si fiat mentio de eodem effectui numerico, quod ipsi sufficiat in casu mirum generatorum ex semine, & sine semine, nobis sufficit: & in re ipsa fortassis non est idem numero effectus, qui producit ad solo Deo quando supplet defectum causæ secundæ, & qui produceretur ab ipsa causa secundæ, si immediate illum produceret; sed sufficeret, quod sit idem in specie: quod si debeat esse idem numero effectus, tum falsum est quod idem numero effectus non possit diuini à diuersis causis produci.

CONCLUSIO III.

23. *Si accidentia sola immediate producerent substantiam*, si acciden-
essent cause principales productiue ipsius. Hæc est iuxta
sententiam *Pereira*, & mihi probatur efficaciter ex eo,
quod, modo actio ab ipsis solis immediate procedat, nihil
impediat, quo minus sint causæ principales istius actio-
nis, præsertim cum ex substantia nullam virtutem reci-
piat aut motionem aut impulsu, præter suamque enti-
tatem: r. ciperet autem suam entitatem ab ipsa non tollit,
quo minus sint causæ principales. Quod si etiam ipsa
non producerentur à substantia, in qua subiectantur, pro-
fecto non video, quomodo posset illa substantia vllò mo-
do dici causa productionis alterius substantiæ, nisi deno-
minatiue & materialiter; sicut substantia, quæ est alba,
dici potest disgregare visum, cum tamen sola causa prin-
cipalis, & per se disgregationis sit albedo.

Obiicit ex Complutensibus: Actiones sunt proprie sup-
positorum seu subsistentium: sed forma substantialis est,
qua suppositum habet esse tale: ergo quauis actio illa,
qua producit substantiam, immediate egredietur ab acci-
dentibus, accidentia tamen non possunt esse causæ prin-
cipales ipsius, sed forma substantialis. Probatur antea-
tum *Aristotelis* autoritate 1. & anima c. 4. tum ratione,
quia operari præsupponit esse: ergo operari per se conue-
nit saltem principaliter soli illi, quod habet esse per se: sed
solum subsistens seu suppositum substantiale habet esse per
se: ergo solum illud operari poterit. Probatur prima con-
sequentia, quia ex eo quod suppositum est id quod est,
ideo est efficiens ut quod principale: ergo quia forma sub-
stantialis est id, quo ipsum suppositum est, est etiam id,
quo principaliter agit.

Confirmatur, quia si forma substantialis in composito
non

Si acciden-
tia sola
produce-
rent sub-
stantiam,
essent cau-
sæ prin-
cipales pro-
ductiue
eius.

non esset ipsi principium primum operandi, frustra esset in ipso: ergo debet esse tale principium.

24. *Respondeo* ad hanc difficultatem, quæ multum habet nominis, & parum rei, primo ex ea secuturum, quod etiam causa principalis calefactionis non esset calor; quod videtur absurdum. Sequela patet, quia calefactio est actio: ergo si actio debet esse necessario suppositum, & illius, quod primo constituit suppositum, calefactio debet habere pro causa principali ut quo formam substantialem rei, in qua est, & consequenter calefactio orta ab aqua calida deberet principaliter procedere à forma aquæ, quod est prorsus ridiculum.

Respondeo secundo, distinguendo maiorem, denominative concedo, formaliter, & ita ut ipsum suppositum sit causa vltimo modo actionis nisi quatenus est causa sustentativa accidentis, à quo oritur actio; sicut materia potest dici causa actionum provenientium à forma, quam sustentat nego maiorem. Ad cuius probationem dico Aristotelem non alio modo velle quod actiones sint suppositorum, quam denominative. Imo nec vult ille aut alius vllus, quod actiones sint ita necessario suppositorum, ut non possint dari actiones, nisi provenientes à suppositis, quia anima rationalis separata non est suppositum, & tamen habere potest etiam naturaliter plures actiones, & accidentia Eucharistica separata habent actiones, cum tamen non sint supposita.

Ad secundam probationem respondeo distinguendo consequens: ergo operari per se, id est sine consortio alterius principij concurrentis, aut per modum causæ principalis, competit illi, quod habere esse per se, id est, quod non est existens in alio, nego consequentiam: ergo operari per se, id est, operari non existendo in alio competit soli substantiæ naturaliter loquendo, concedo consequentiam, sed consequens non est ad propositum.

25. Brevis potest responderi absolute negando consequentiam, quia ad hoc quod aliquid operetur per se, tanquam causa principalis, impertinens est, quod habeat esse per se, seu quod sit in alio inhærens. Quod confirmo, quia causa per se, ut quo, principalis est secundum adversarios formam substantialem; & tamen non habet esse per se, prout esse per se opponitur esse in alio, quia est in materia: ergo habere esse per se, prout esse per se opponitur esse in alio, est omnino impertinens ad causandum per se aliquid per modum causæ principalis.

Responderetur tertio, concessa maiori, distinguendo minorem: forma substantialis est, quæ habet esse tale, id est, esse productivum istius effectus, qui immediate egreditur ab accidentibus, nego; esse tale secundum quacumque aliam rationem transeat minor, & nego consequentiam. Ad cuius probationem dico suppositum, non ideo esse efficiens quia est id quod est quomodocumque, sed quia est habens virtutem efficiendi: sed non habet virtutem efficiendi à forma substantiali ex hypothesi conclusionis; sed à forma accidentali, id quod manifeste constat, quia perinde est quam formam substantialem habet ad habendas illas actiones, quæ egrediuntur à solis accidentibus; nam quodcumque suppositum quacumque forma substantiali constat, si habeat formas tales accidentales, habebit easdem actiones immediate provenientes ab illis accidentibus, ut patet in aqua calefaciente: sed sane si forma substantialis esset principium principale istarum actionum, non esset perinde, quam formam haberet.

Ad confirmationem respondeo, ex ea, si valet, sequi quod actiones immediate non egrediantur à solis accidentibus, quia sic inutiles essent in ordine ad illas actiones tales forme.

Respondeo secundo, non futuram inutilem illam formam quamvis non esset causa operationum provenientium ab accidentibus, tum quia constitueret ipsammet substantiam; tum quia esset principium productivum ipsorum accidentium connaturalium isti substantiæ.

26. *Obiicit ex Ioanne à S. Thoma*, si forma substantialis esset immediatè principium operationum, habens formam, semper haberet operationem in actu, sicut habes animam est semper vivens: sed hoc est falsum, ut patet expe-

rientia: ergo & antecedens; Probatur sequela, quia in quantum forma, est actus non ordinatus ad alium actum, sed in quantum actus non est principium operis; alias esset operans actu & non potentia: ergo ratione alicuius superadditi fit operans.

Respondeo primo, hoc argumentum retorqueri posse contra adversarios hoc modo: si forma accidentalis esset principium immediate operativum, habens formam illam semper haberet operationem in actu: sed hoc est tam falsum, quam quod habens formam substantialem semper haberet operationem in actu: ergo & antecedens. Sequela probati potest eodem plane modo, quo probatur sequela probationis; nec prorsus facit ad rem quod forma accidentalis sit instrumentum vel non sit.

Respondeo secundo, negando sequelam, & distinguendo consequens probationis: ratione alicuius superadditi, quod sit principium operativum, nego: quod sit actio reducens principium operativum ad actum secundum, concedo consequentiam.

CONCLUSIO IV.

27. *Accidentia non producunt, partialiter etiam, immediate ipsam substantiam.* Hæc est iuxta septimam contra reijctas.

Probatur, quia ex suppositione ante probata, quod substantiæ habent aliquam actionem immediate terminatam ad substantias productas, habent sufficientem proportionem ad actionem totalem habendam, vel enim est eisdem vel maioris perfectionis quam effectus: ergo superflue recurreretur ad concursum aliquem etiam partialem accidentis.

Confirmatur, quia non sunt multiplicandi concursus absque necessitate & quotiescumque sunt duæ causæ, de quarum concursu ad effectum dubitatur, si inveniantur, quod una necessario concurret, & quod nihil impediat quo minus concurret adæquate, nec constet aliunde, quod altera concurret, debet dici, quod illa sola concurret & quod altera non concurret omnino: sed ita contingit in proposito, ut patet, ergo.

Confirmatur secundo, quia experientiæ superius posite de substantiis productis ad applicationem accidentium, non magis probant concursum partialem, quam totalem accidentium ad productionem illarum substantiarum: sed non probant totalem: ergo nec partialem.

28. *Dices*: non repugnare concursum immediatum accidentis, nec repugnare quod substantia, etiam maioris virtuti non haberet virtutem adæquate productivam alterius substantiæ, licet haberet virtutem partialiter productivam ipsius: ergo ita dicendum est.

Respondeo, negando consequentiam; quemvis enim ita posset esse: ita tamen non est dicendum absque causa aliqua aut ratione.

Probari solet ulterius conclusio: quia nulla est formalitas in substantia correspondens accidenti, ergo: accidens non concurret ad productionem ipsius. Respondet *Aristoteles*, hoc argumentum esse debile, propter aliquas instantias: sed argumentum tamen est bonum, si bene intelligitur: Sensus ergo est, quod quotiescumque præsentibus sunt plures causæ, dum producitur effectus, si non reperitur aliqua formalitas in effectu correspondens uni ex illis causis, sed omnes formalitates correspondent alteri causæ, nec aliunde constat, quod requiratur concursus causæ non habentis formalitatem sit partem correspondentem, non debeat dici, quod illa causa concurret ad illum effectum; quod quidem satis apparet videri; ad quid enim id diceretur? sed ita contingit in casu nostro, ergo &c.

29. *Obiicit pro Suario*, accidentia non sunt data substantiis pro ornamento solummodo, sed etiam ut his mediantibus omnes suas operationes exerceant, ergo concurrunt ad productiones substantiales.

Respondeo primo, negando antecedens, quia prima productio ipsorum accidentium non fit mediantibus accidentibus: ergo omnes operationes substantiarum non fiunt mediantibus accidentibus.

Respondeo secundo, distinguendo antecedens: iis mediatis, tanquam immediate concurrentibus, nego antecedens: tanquam immediate, vel mediate ac dispositiue concurrentibus, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Obiicies secundo. Substantia est de se indeterminata ad hanc, & illam formam substantialem producendam: ergo debet determinari per accidens, & consequenter accidens debet concurrere immediate ad productionem substantiæ.

Respondeo primo negando antecedens, si intelligatur vniuersaliter, quia ignis est ex se determinatus ad ignem producendum tam bene, quam calor est determinatus ad producendum calorem.

Respondeo secundo, distinguendo primum consequens; debet determinari per accidens dispositiue, transeat; tanquam per aliquod principium immediate concurrens, nego consequentiam primam, & secundam etiam. Quod si calor etiam immediate concurreret ad productionem ignis, potius deberet dici quod ignis determinaret calorem ad producendum ignem alterum, quam calor determinaret ignem: nemo est enim qui bene negare possit, quin ignis ex natura sua sit magis determinatus ad ignem producendum, quam calor. Itaque quæcunque substantia est indeterminata ad plures effectus substantiales, determinatur ad vnum præ alio, vel per dispositiones præuias exigenter connaturaliter vnam formam præ alia, & consequenter per accidentia producentia illas dispositiones, tanquam per causas disponentes, vel per alias substantias applicatas, & immediate concurrentes ad productionem substantiæ illius, quæ producitur.

QVÆSTIO III.

Virum substantia producat immediate accidens.

30. **D** Vobis modis posset substantia producere accidens: primo in semetipso: secundo in alio subiecto: & de vtroque modo esse potest difficultas.

Prima sententia vniuersaliter negat substantiam vllam per semetipsam immediate producere productione vera, & reali vllum accidens, siue in se, siue in alio subiecto. Hanc tenent Complutenses disp. 10. nu. 92. pro eaque citant D. Thomam variis locis ac plures alios Thomistas; fatentur tamen substantiam aliquo modo effectiue se habere ad accidentia sua propria, & hæc à substantia immediate emanare, verbi gratia calorem à substantia ignis, frigus ab aqua; sed non tamen per veram actionem, & explicat postea nu. 106. illam emanationem consistere in ordine excedendi passionum post essentiam: & num. 101. dicunt ideo substantiam habere se per modum causæ effectiue licet non producat passiones per veram actionem, quia scilicet exigit connaturaliter illa accidentia: & propterea est ratio cur generans producat illa accidentia propria eadem ipsa actione, qua producit substantiam; quæ cum difficili, valde sint, mirabile est, cur absque necessitate vlla quis vellet in eas se angustias conferre.

Secunda sententia est substantias immediate producere in semetipsis aliqua accidentia actione proprie dicta, non vero posse producere accidentia vlla, realia saltem, in alio subiecto per virtutem suam substantialem, verbi gratia aquam per suam virtutem substantialem posse producere in se frigus, sed non in alio corpore sibi quomodocunque applicato. Hanc quoad primam partem tenent Scotista omnes cum D. 2. d. 16. & in 4. d. 12. q. 3. quem recentiores communiter sequuntur, & nominatim Suarez disp. 14. met. Hurtad. disp. 9. Physicorum, Arriaga disp. 11. sec. 2. Auerſa disp. 21. sec. 8. quo ad secundam vero partem est Suarez & Auerſa.

Tertia sententia est, quod substantia producat aliqua accidentia etiam in alieno subiecto. Hanc tenet Maior 4. disp. 12. q. 2. Rubion. ibidem q. 6. Arriaga supra, & Mastrius disp. 7. ar. 3. qui eam tribuit Scoti 2. d. 9. q. 2.

CONCLUSIO I.

31. *Substantia immediate producit aliqua accidentia in semetipsa actione proprie dicta. Hæc est communior*

cum secunda, & tertia sententia contra primam.

Probatur primo auctoritate Aristotelis 7. Met. tex. 32. vbi videtur tenere conclusionem. Sed quidquid sit de auctoritate, quæ in rebus Philosophicis parui mihi est momenti, nisi vbi deficit ratio pro alterutra parte.

Probatur secundo ratione, quia aqua calida producit in semetipsa frigus, vt patet experientia, & quidem actione reali ac vera, quam est vlla actio: sed non producit in se frigus per vllum gradum frigoris, tum quia posset forte tantum caleſcere, vt nihil maneret frigoris, tum quia quantumvis aliquis gradus maneret, nulla qualitas potest seipsam intendere: vt suo loco dicemus; nec vlla alia qualitas potest assignari, per quam illud frigus producat: ergo producit illud per virtutem suam substantialem.

Dices adesse ibi qualitatem aliquam occultam, quæ illud producat.

Contra: Si est occulta, vnde intelligitur adesse, si ex productione frigoris, petitur principium, quia quæritur cur frigus non posset ab ipsa substantia produci. Itaque gratis omnino asseritur qualitas occulta, & eam asserens multiplicat entia sine necessitate.

32. *Dices secundo cum Toletio*, frigus illud produci ab aere circumſtante.

Contra, quia aer circumſtans non est tam frigidus quam aqua, & consequenter non potest tantum frigoris producere quantum habet aqua: Addit ad hoc Mastrius quod aqua in vacuo reduceret se ad frigus, vbi non adesset aer aut aliud corpus circumſtans; sed hæc experientia incerta est & negaretur propterea à Toletio.

Dices tertio, illud frigus à generante aquam produci.

Contra, posset illud generans non esse, sufficiens applicatum; imo posset tum non exſistere in rerum natura.

Dices quarto, produci illud frigus à Deo, aut causis superioribus, ſupplentibus defectum causæ secundæ.

Contra, quia non est recurrendum ad Deum, nisi vbi deficiat causa secunda sufficiens; sed, hic non deficit, quia profus nihil impedit quo minus ipsamet substantia virtute sua illud producere possit.

Dices quinto, illud frigus produci à tali principio, à quo producitur in speciebus Eucharisticis vini, quando calefactæ reducuntur ad frigus connaturale: sed non producitur in his à substantia vlla, cum nulla sit substantia sub illis speciebus, à qua illud produceretur: ergo neque in aqua producitur à substantia aquæ.

Respondeo negando maiorem, quia illud frigus producitur à Deo ſupplente defectum substantiæ, quæ esset sub illis speciebus, nisi propter miraculum Eucharistiæ: in casu autem aquæ adest ipsamet substantia aquæ, cui potest illa productio adſcribi sine recurſu ad Deum.

33. *Probatur secundo* Conclusio quia intellectus effectiue concurrat immediate ad producendum in se intellectiōnem: sed vt ſuppono ex dicendis in libris de anima intellectus est substantia; ergo substantia immediate concurrat ad productionem accidentis.

Probatur conclusio tertio, & confirmatur vtrique præcedens probatio, quia nihil impedit quo minus substantia immediate producat aliqua accidentia: si enim potest producere substantiam, & à vno accidens potest producere aliud accidens immediate, nulla ratio assignari potest, cur substantia non posset producere accidens.

Hinc ſequitur quod substantiæ producant in ſeipſis in primo instanti, quo producuntur, qualitates ſuas connaturales; quæ dicuntur ab ipsis emanare: si enim habeant virtutem productiuam accidentiū, potius ipsis debet adſcribi productio illorum accidentiū, quam aliis causis, & quamuis dicantur emanare ab ipsis, tamen illa emanatio non excludit, quin ſiant per veram, & realem actionem, quia quocumque aliquis terminus distinctus realiter ab aliquo emanat ab ipſo, produci debet per actionem veram & realem, præſertim ſi ille terminus poſſit eſſe exiſtens in rerum natura ſimul cum illo principio, à quo emanat, abſque eo quod emanet: Sed ſic eſt quod frigus aquæ diſtingatur realiter ab aqua, & quod poſſet tam aqua quàm frigus exiſtere in rerum natura quin frigus emanet: ergo frigus nequit emanare ab aqua abſque vera actione:

Substantia
immediate
producit
in se aliqua
accidentia
actione
proprie dicta.

& sane qui hoc negaret, posset negare omnem veram actionem. Quod si etiam frigus non produceretur ab aqua, sed à generante aquam; profecto adhuc dicendum esset quod non produceretur per actionem, quia producitur ipsamet substantia aqua, vt pessime aiunt Complutenses: tum quia bene posset esse actio productiua aquæ sine productione frigoris, de potentia saltem absoluta; sed nequit esse actio sine omni termino per illam posito; tum quia eadem ratione, quæ actio productiua aquæ est actio productiua frigoris, etiam actio conseruatiua aquæ est actio conseruatiua frigoris; sed hoc est falsum, quia actio conseruatiua aquæ remanet, etiam naturaliter, sine conseruatione frigoris, quando scilicet calefit aqua; actio autem non remanet naturaliter sine omni termino per illam productio.

Dices: generanti adscribitur communiter productio illarum qualitarum, quæ sunt rei proprietates: ergo ab ipso producuntur.

Respondeo distinguendo consequens: ab ipso immediate, nego; mediate, concedo, quatenus scilicet ab ipso provenit substantia, à qua producuntur in eodem instanti illa operationes.

Hic ulterius explicari solet, quænam accidentia possit substantia in semetipsa producere. Sed facile respondeatur omnia illa, quorum productio absque inconuenienti ipsi adscribi possit; nec necesse est descendere in particulari ad specificationem maiorem.

CONCLUSIO II.

34. Substantia aliqua potest producere accidens in alio subiecto per suam virtutem substantialem immediate. Hæc colligitur ex Doct. 2. d. 9. q. 2. num. 32. ubi supponit calorem posse produci à sole: eam tenet Arriaga & Maffius supra.

Probat ex illo ipso exemplo Scoti: Sol producit calorem; sed non producit illum per alium calorem, quia sol non est formaliter calidus, sed virtualiter tantum; nec assignari potest alia qualitas in sole, per quam potius quam per suam formam substantialem illum debeat producere: ergo per suam substantialem formam illum producit. Aliud exemplum, quo probati potest conclusio, est impulsus, qui imprimitur proiectis per virtutem loco motiuam, quæ in probabiliore sententia est substantia. Similiter instari potest in pipere, & vino, quæ producant calorem maiorem, quam habent in seipsis formaliter: sed non est dicendum quod hoc faciant mediante qualitate aliqua occulta potius, quam per suam substantiam, quia multiplicaretur illa qualitas occulta absque necessitate, quod non est dicendum. Adde, nihil imp. dire quo minus huiusmodi virtus tribuatur substantiæ: ergo quoties ad applicationem substantiæ producuntur aliquæ qualitates in alieno subiecto, quæ non alijs potius principio quam substantiæ attribui debent, dicendum est quod substantia immediate illas producat.

CONCLUSIO III.

35. De facto productio qualitarum in alieno subiecto, quæ sunt similes qualitatibus substantiæ, ad cuius præsentiam producuntur illa qualitates, non est attribuenda ipsi substantiæ immediate, neque quidem partialiter, sed qualitatibus ipsis, & probabilis videtur substantiam se sola non posse illas qualitates producere. Hæc quoad primam partem est Auerse, & Arriaga supra contra Maffium, qui dicit oppositum doceri à Doctore supra. Sed toto celo fallitur, Scotus enim tantum dicit quod calor possit produci tam à substantia, quam ab accidente; sed nullo modo dicit quod possit à substantia formaliter calida produci in alieno subiecto.

Dices cum Maffio: calor à calore nequit produci, nisi in alieno subiecto, ergo si simul producat calor à calore & substantia, debet etiam produci à substantia in alieno subiecto.

Respondeo distinguendo consequens: à substantia affecta calore, nego; ab alia substantia, verbi gratia à sub-

stantia cæli, transeat, quia non impedit conclusionem.

Probat conclusio quoad primam partem: quia ipsæmet qualitates substantiæ sunt sufficientissima principia producendi alias qualitates illas in alieno subiecto: ergo illis solis adscribenda est illa productio.

Confirmatur, quia illæ qualitates aliquando producunt se solis, & quidem tam velociter ac perfecte qualitates sibi similes in alieno subiecto, vt patet in aqua calefacta, quæ calefacit per calorem solum immediate: ergo dicendum est, quod semper producant illas, quando applicantur se solis absque concursu substantiæ; neque enim maioris virtutis sunt in aqua, quam in substantia, cui sunt connaturales, verbi gratia igne aut homine.

36. Obiicies ex Maffio contra hanc partem. Illud quod continet effectum aliquem in actu primo, potest illum producere in quocunque subiecto capaci talis effectus, si debite applicetur ipsi: sed ignis, verbi gratia, continet calorem in actu primo, alias non posset ipsum producere in semetipso, & alienum subiectum; verbi gratia aqua, est capax caloris, & sufficienter applicatur igni, quando ab igne calefit: ergo producit per suam formam substantialem calorem in aqua. Maior est Scoti; simili enim argumento probat intellectum posse producere intellectionem in alieno subiecto.

Respondetur in primis certum videri, quod aliqua causa contineat aliquem effectum virtualiter sic, vt possit cum in se ipso producere, qualem tamen effectum nequit producere in alieno subiecto etiam capaci talis effectus; nam substantia grauis producit in semetipsa grauitatem, quam nequit in alieno subiecto producere, & idem est de substantia leui; & similiter substantia materialis completa producit in seipsa quantitatem, quam nequit producere immediate in aliena substantia. Deinde oculus potest producere in seipso sensationem, quam nequit producere in alieno oculo, quod ipsemet Maffius fatetur; nec tamen magis videtur illa sensatio petere immanenter produci, quam intellectio, quæ potest secundum ipsum etiam transeunte produci. Sed quidquid sit de experientis, id certum est quod posset aliqua causa habere virtutem sic limitatam, vt non posset effectum in alio subiecto capaci & applicato producere, quem posset in semetipso.

37. Vnde respondeo in forma distinguendo maiorem: Si non limitetur ad determinatum subiectum, concedo; si limitetur, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia substantia calida formaliter limitatur ad calorem in semetipso producendum, vt magis apparebit ex probatione secundæ partis conclusionis. Ad probationem autem maioris & auctoritatem Scoti respondeo, eum intelligendum esse iuxta distinctionem iam datam, vt quotiescunque scilicet non sit inconueniens, quod causa continens formam producat ipsam in quocunque subiecto applicato debeat dici quod producere possit ipsa; si vero sequatur inconueniens aliquod ex eo, quod producat formam, quam possit producere in alieno subiecto, in seipso, non debet producere illam in seipso; & si rursus sequatur inconueniens ex eo, quod producat in alio subiecto formam quam potest producere in seipso, debeat dici quod non possit producere illam in alieno subiecto: est autem inconueniens, quod producat substantia calida formaliter per suam substantiam calorem correspondentem illi calori in alio subiecto, vt statim dicam; non vero est inconueniens, quod intellectus possit producere intellectionem in alio intellectu mere passive se habente (si vera sit illa sententia, de quo suo loco) unde non est idem dicendum de intellectu in ordine ad producendum intellectionem in se & alio subiecto, ac de igne in ordine ad producendum calorem per suam substantiam in se, & in alio subiecto.

Confirmatur hæc responsio, quia vinum & piper sunt capacia tanti caloris formalis, quantum possunt producere in alio subiecto, & tamen non possunt tantum producere in semetipsis, vt patet experientia: ergo non est verum, quod agens omne potens formam producere in alio subiecto, possit eam in quocunque subiecto capaci, & applicato producere, & consequenter quauis

Rt 3 ignis

ignis per suam substantiam possit producere in seipso calorem, non sequitur, quod per eam possit producere calorem in alio subiecto.

38. *Probatur secunda pars conclusionis*, quæ est contra *Arriagam*, & *Mastrium*, quia imprimis nulla est experientia aut ratio, quod id possit facere, nec debet adscribi illi vlla productio, nisi colligatur competere ipsi per rationem aut experientiam. Deinde si posset illas producere, nulla est ratio cur de facto illas non produceret; sed secundum *Arriagam* de facto eas non producit; ergo neque potest ex natura sua. Maior patet, quia non potest vel probabiliter dici, quod sit minoris virtutis ad illas producendas, quam ipsemet calor: ergo præsentia caloris non impedit illam productionem; sed aliud impedimentum asseri nequit; ergo.

Dices cum Arriaga calorem esse magis proportionatum ad producendum alium calorem, quam substantia ignis.

Contra, quia hoc gratissime dicitur, nam quamvis sit eiusdem speciei: tamen si res diuersæ speciei, habet etiam virtutem, non debet dici minus proportionata propter a: neque enim agens vniucum est magis proportionatum ad producendum suum effectum, quam agens æquiuocum; unde illa similitudo specifica nihil prius facit ad rem.

39. *Dices secundo* cum eodem: videmus quod calor, verbi gratia in subiecto inepto ad producendum calorem, ut in aqua, tam bene producat calorem, quam in igne, aut alio subiecto, cui est connaturalis: ergo signum est, quod se solo producat calorem, etiam in subiecto, cui est connaturalis, sicut se solo producit illum in alio subiecto.

Respondeo negando consequentiam ex suppositione quod subiectum connaturale habeat virtutem productiuam caloris in alio subiecto per suam substantiam: nam sicut licet ignis se solo produceret ignem absque concursu alterius ignis, tamē si applicetur æque bene alius ignis, debet æque dici quod simul concurrat, quia non est maior ratio de vno, quam de altero, præsertim si uterque posset habere actionem partialem, ita quamvis calor se solo posset producere calorem, tamen quando applicatur alia causa naturalis æque potens illum producere, productio caloris debet æque vtrique adscribi, præsertim cum utrumque posset habere actionem partialem respectu illius: negare autem hoc propter maiorem proportionem caloris cum calore, quam ignis cum calore in ratione productiui, est petere principium, constanter enim neganda est illa maior proportio, si ignis habeat virtutem productiuam.

40. *Probatur secundo ead. m. pars*, quia si ignis posset per suam substantiam producere calorem in alio subiecto, frustra daretur illi calor à natura, sed hoc non est dicendum: ergo. Probatur minor, quia quidquid posset facere per calorem, posset facere per propriam substantiam, nihil enim physicum præsertim, de quo potissimum loquimur, potest facere per calorem formaliter, & immediate quam producere alium calorem, aut resistere frigori in se producendo: sed hoc posset tam bene ac tam celeriter facere per suam substantiam: ergo frustra daretur ipsi à natura calor.

Mastrius Respondet calorem in igne non esse superfluum, quia cedit ad perfectionem substantiæ, ut citius possit agere, & perfectius existere iuxta statum suum connaturalem, ac denique ut esset perceptibilis à sensu tactus.

Sed contra primam rationem, quia sicut habet virtutem producendi calorem in se ipso instantanea posset in instanti producere calorem in alio subiecto æque capaci, si non poneretur impedimentum, & posito impedimento frigoris verbi gratia, nulla prius est ratio cur non tam cito posset illud successive tollere, quam posset per calorem solum, nec habetur experientia vlla, quod subiectum, cui connaturale est frigus ut tria, citius calefaciat aquam applicatam, qua alia aqua calida ut tria; ergo non citius ignis cum calore calefacit, quam tantus calor sine igne in simili subiecto, quantum ad raritatem & magnitudinem; nec etiam citius consequenter potest cum calore, quam sine calore calefacere.

Contra secundum est, quod ex suppositione quod calor ad nihil deferuiat igni, non existeret ignis connaturalius

sub calore quam sine calore, imo connaturalius existeret sine illo, quia existeret tum sine superfluitate.

Contra tertiam est, quod sentiretur ignis sine calore in hærente, mediante calore producto ab illo, nec alio modo sentire deberet à sensu tactus.

41. *Obiicit pro Mastrio contra utramque partem conclusionis*: agens naturale agit in distans vniiformiter difformiter ita, ut quo magis passum distat, eo minus intensam producat qualitatem: sed calor v. g. in summo est producibilis ab igne in subiecto distanti, & de facto producit, quando comburitur tale subiectum: ergo necessario concurrat ad illum calorem in tali subiecto producendum substantia ignis, quia solus calor non potest in distans tantum calorem producere.

Respondeo primo: Si vera est maior, falsam esse minorem: si enim non potest agens naturale producere tam intensam qualitatem, verbi gratia calorem, in subiecto distanti, quam potest in magis vicino; ergo neque ignis etiam si curreret cum calore poterit illud facere; quod si ignis possit in remoto magis intensum calorem producere quam in propinquo, nulla ratio est, cur etiam calor id facere non possit.

Respondeo secundo, distinguendo maiorem, quando totum medium est eiusdem rationis, transeat: quando pars remotior eius est diuersæ rationis, & magis capax ad recipiendum calorem, nego maiorem, & permittam minori (de qua dubitari etiam posset, quia forte non est necessarius tantus calor ad introducendam formam ignis in stupam aut subiecto quocunque combustibili) nego consequentiam, quia sicut ignis posset producere in tali parte calorem tantum, non producendo tantum in parte viciniore: ita etiam & calor posset facere, ut ante dixi.

Confirmatur hoc, quia si aliud subiectum tam calidum quam igit, verbi gratia aqua, applicaretur tali modo stupæ in tali distantia, diserneret stupam ad formam ignis, quamvis nullo modo esset productiuum caloris per suam substantiam, neque in se, neque in alio: ergo signum est, quod concursus substantialis formæ non sit necessarius ad talem dispositionem producendum.

QVÆSTIO IV.

An accidentia conferuantur à substantia?

Mastrius supra conclusionem tertiam mirabilem proponit doctrinam: negat enim accidentia etiam connaturalia, quæ ipsemet concedit produci à substantia, cui sunt connaturalia, conferuari ab eadem conseruatione proprie dicta, quam explicat per dependentiam effectus in fieri & conseruari; fatetur tamen ea conseruari ab illa, conseruatione improprie dicta, qualem explicat consistere in remotione, & impedimento contrariorum ne agant in illa accidentia. Verum est quod paulo post addat vterioorem explanationem conseruationis proprie dictæ, dicendo, quod consistat in dependentia essentiali rei non solum in fieri, sed etiam in facto esse.

CONCLUSIO I.

42. *Accidentia illa, quæ producuntur effectiue in substantia à semetipsa, vere etiam conseruantur à substantia eadem.*

Probatur, quia virtus productiua non magis debet adscribi substantiæ respectu illorum accidentium, quam conseruatiua; nec alia causa secunda conseruatiua assignari potest conuenientius, & certum est quod illa accidentia in fieri, & conseruari dependent ab illa substantia. Quod autem non essentialiter dependant sic, quin possent conseruari ab aliis causis sine dependentia ab illa substantia, nihil facit ad rem: falsum est enim, quod conseruatio proprie dicta inuoluat talem dependentiam, sufficit enim dependentia per se, quemadmodum enim proprie producuntur illa accidentia à substantia, & ab illa proprie vere dependent in fieri, licet non dependant essentialiter sic, quin possint produci independentem ab illis; ita etiam possent proprie, & vere conseruari, & possunt vere & proprie dependere in facto esse ab illa, quamvis in facto esse non ita dependant, quin possint esse conseruata in facto esse absque illa; quod totum mihi videtur euidentem.

43. *Dices*: calor in aqua non dependet ab aqua effectiue

Doctrina
Mastrii.

Accidentia
producta à
substantia
conseruantur
ab ipsa

in conseruari: ergo neque in igne; quia dependentia est imperfectioris, & calor in aqua non est perfectior aut perfectioris conditionis quam in igne, ut patet: ergo non dependet ab igne, sicut non dependet ab aqua.

Respondeo primo. Si argumentum hoc valeret, secuturum quod non dependeret per se in fieri ab igne, quia non dependet per se in fieri ab aqua, & dependentia etiam in fieri est imperfectioris.

Respondeo secundo, negando consequentiam, quia aqua non habet virtutem conseruatiam eius, sicut nec productiuam, ut statim dicitur; ignis vero sicut habet productiuam, habet conseruatiam. Ad probationem consequentia.

Respondeo primo negando consequentiam, quia quamvis non dependeat ab aqua, sicut dependet ab igne, dependet tamen ab alio æquivalenti; unde non obstante dependentia ab igne, non est peioris conditionis in igne quam in aqua.

Respondeo secundo negando antecedens pro secunda parte, quantum ad conditionem dependentia, quia sicut conditio dependentia est imperfectioris, ita conditio illius, à quo fit dependentia, est perfectioris, & potius debet substantia, cuius est accidens, tribui conditio hæc terminatiua dependentia, quæ est perfectioris, quamvis poneretur imperfectio, sine qua nequirit esse in accidente, quam poni conditio perfectioris consistens in independentia in accidente, negando conditionem illam perfectioris in substantia, quæ potest ipsi competere.

CONCLUSIO II.

44. *Accidentia destructiua substantia non conseruantur ab illa, verbi gratia calor ab aqua.* Probatur hoc quia illa substantia non habet virtutem productiuam ipsorum; imo habet virtutem destructiuam: non est autem probabile, quod idem subiectum habeat virtutem conseruatiam, & destructiuam respectu eiusdem forma: quod autem habeat aqua virtutem destructiuam caloris, patet experientia, quia ipsum destruit producendo in se frigus contrarium.

Dices: non potest assignari alia causa conseruatia illorum accidentium: ergo conseruantur ab illa substantia.

Respondeo negando antecedens: conseruantur enim vel à causis superioribus, vel à Deo ut auctore nature.

CONCLUSIO III.

45. *Accidentia substantia, quæ neque sunt conseruatia ipsius, nec destructiua, neque etiam ab illa sola producibilia, non conseruantur ab ipsa sola, verbi gratia species impressa phantastica, habitus intellectus, & voluntatis, habitus supernaturales in substantia, & similia.* Probatur, quia imprimis nulla est ratio, nec experientia, unde constat, quod huiusmodi accidentia à substantia conseruentur: ergo non debet asseri.

Deinde, sicut non habet virtutem totalem productiuam illorum, ita videtur non habere conseruatiam: conseruatio enim est continuata productio rei: & sicut potest aliqua causa habere virtutem, ex qua sola effectus naturaliter, & necessario egrediantur pro vno instanti, ita posset pro omni, nisi ponatur impedimentum: ergo si non potest pro vno, neque potest pro vilo: sed intellectus v. g. respectu speciei intelligibilis impressæ, si conseruet ipsam se solo pro instanti aliquo, habet virtutem in actu primo, ex qua sola necessario egreditur, pro illo instanti: ergo & pro instanti primo quo producit, si nullum ponatur impedimentum: sed etiam si nullum ponatur impedimentum, non posset à solo intellectu egredi illa species pro instanti primo: ergo neque pro secundo, & consequenter nequit se solo conseruare illam speciem.

46. *Confirmatur hoc,* quia pro quocunque instanti producit aut conseruatur res aliqua, debet in illo instanti esse causa sufficiens in actu primo applicata ad productionem aut conseruationem illius; nec sufficit, quod præfuerit pro vilo alio instanti: ergo pro instanti, pro quo conseruatur species intelligibilis in intellectu, debet esse prius natura aliqua causa effectiua continens illam

conseruationem: sed illa causa non potest esse intellectus solus, alias posset exire ab illo solo species illa pro primo instanti, sicut exit pro illo instanti: ergo necessario recurrendum ad aliquid aliud, quod est intentum.

Dices, intellectum solum sufficere, ut exeat illa species ex suppositione, quod semel fuerit producta pro alio instanti.

Contra, quia productio ipsius pro alio instanti non potest iuuare pro hoc instanti, quandoquidem non sit in hoc instanti illa productio, quæ ratione probamus quod productio causa pro vno instanti non iuuat, ut illa causa producat in alio instanti, nisi causa etiam producat in illo alio instanti.

QVÆSTIO V.

An causa prima concurrat immediato ad effectus causarum secundarum efficientium.

47. *Suppono* hic, quod etiam suppositum erat præcedentibus questionibus, nempe Creaturas, quas vocamus hic causas secundas, habere aliquam efficientiam physicam respectu multarum rerum, quæ de nouo producantur: quamvis enim id negare videantur *Petrus Aliacensis*, & oppositum probabile teneat *Gabriel*; tamen horum sententia omnino falsa est, quod probatur primo argumento Theologico ex Scriptura delumpto: nam in ea sapissime actiones tribuuntur Causis secundis, ut Genes. 1. *Germinet terra herbam viuentem. Producant aquæ reptile. Crescite & multiplicamini. Quid fecisti quia fecisti rem hanc, & Concilium Tridentinum* expresse definit, quod non habeamus nos respectu actuum supernaturalium mere passiuè, tanquam inanime instrumentum, sed actiuè.

Probatur secundo, quia homines alias non peccarent nec mererentur; & consequenter nec pœna plekti deberent, nec affici præmio.

Probatur tertio auctoritate communissima ceterorum Philosophorum ac Theologorum, cui abique ratione aliqua virginti, qualem aduersarij non habent, contrarii non debet.

Probatur quarto experientia qua constat ad præsentiam aquæ produci frigus; ignis, calorem & ignem, obiecti & oculi non impediti visionem: ergo dicendum est, quod causæ secundæ illæ, ad quatum præsentiam ita illæ res producantur, ut non nisi iis præsentibus producerentur, habeant efficientiam circa illas.

Dices cum Aduersariis Deum solum illas res ad præsentiam illarum aliarum rerum producere absque concursu physico illarum.

Contra: quia si Deus solus id faceret ad præsentiam tantum illarum non esset maior ratio, cur ignem produceret ad præsentiam ignis, quam ad præsentiam aquæ: cur enim ignem produceret ad præsentiam ignis potius, quam aquæ, nisi quia ignis vel concurreret ad productionem ignis, vel disponderet ad illam productionem: Sed dispondere non potest ad illam, neque concurrere absque efficientia physica: ergo necessario attribuenda est illi efficientia physica.

48. *Dices,* se habere per modum conditionis sine qua non.

Contra, quia omnis conditio sine qua non, præstat aliquam utilitatem ad productionem effectus, alias cur esset aut quomodo posset esse conditio sine qua non: sed ignis absque efficientia non potest præstare aliquam utilitatem ad producendum alium ignem aut calorem: ergo absque efficientia nequit esse conditio sine qua non.

Arriaga hunc discursum renocat in dubium *disp. 11. n. 3.* asserit enim non satis solide resolutionem communem eo fulciri; quia, inquit, sicut nos tenemur explicare, cur ignis producat alium ignem, non vero vnus Angelus alium, & id reuocamus in proprias eorum naturas (quia scilicet natura ignis est efficere alium, non vero Angeli) ita aduersarij possent dicere, quod ex natura ignis proveniat, quod Deus eo præsentem producat ignem, non vero aquam; & natura aquæ est, quod ea præsentem producat alia aqua, vel frigus, non vero ignis aut calor. Sed immo sane tantum probabiliter tribuit hic author in-

Causæ secundæ producant aliquid.

Replez Arriaga.

simè sententia: nec est prorsus par ratio utriusque casus: nam optime potest vna creatura habere ex natura sua virtutem effectivam sui similis, & alia non habere: nec est difficile intelligere, quod possent habere talem diversitatem: eo autem supposito posset intelligi, cur vna produceret, alia non produceret, quia scilicet vna haberet virtutem productivam, alia non haberet: sed quod vna ex natura sua haberet exigere, quod Deus producat vllum effectum, ad quem effectum producendum ipsamet creatura non habet virtutem productivam aut dispositivam remote aut proxime, est omnino inimaginabile & ridiculum: ergo non eodem modo possunt aduersarij recurrere ad naturas rerum in casu presenti, ac nos in productione ignis per ignem; non vero Angeli per Angelum.

49. *Obiicies contra hoc suppositum.* Deus ipse solus potest omnes effectus causarum efficientium producere, & videtur esse perfectionis in ipso id facere: ergo ita est dicendum.

Respondeo primo, retorquendo argumentum. Deus solus posset illos effectus producere absque presentia aliarum causarum, & id, etiam videtur esse perfectionis: ergo ita dicendum est. Adversarij hic negare debent vel antecedens, vel consequentiam: ergo debent permittere nobis negare antecedens, vel consequentiam primi argumenti sui, quia est eadem ratio.

Respondeo secundo, negando antecedens pro secunda parte: imo esset imperfectionis in Deo se solo producere effectus peccaminosos; quantum autem ad alios effectus sufficit ad perfectionem Dei, quod ipse possit eos producere: & perinde prorsus est quod ipse solus actu illos producat, aut quod producat ipsos admittendo libere concursum causarum secundarum, quibus ipsemet tribuit virtutem concursivam.

Suppono secundo, tum ex fidei principiis, tum ex rationibus naturalibus, dari Deum, qui est causa prima omnium rerum aliarum; quæ principia in Theologia proponi solent: sufficit modo vnicum Scoti, quo videtur *Arriaga disput. 10. n. 1.*

Nulla res potest producere seipsam, nec potest dari mutua causalitas in causis efficientibus: ergo omnes res productæ habent dependentiam ab aliqua causa improducta: ergo datur talis causa: sed illa est Deus, & est causa prima in quam ultimo resolvitur tota collectio omnium rerum productarum.

Suppono tertio, quod nulla causa effectiva secunda possit producere aliquem effectum, nisi dependenter à Deo ita, ut si Deus noller vllum effectum produci, non posset produci; quod probo, quia hoc est maximæ perfectionis, & esset magnæ imperfectionis, quod creaturæ aliqua Deo invito producerentur: & hinc habet ille rationem causæ primæ, creaturæ vero non nisi rationem causæ secundæ essentialiter subordinatæ causæ primæ.

His suppositis gravissima difficultas est, quomodo Deus concurrat cum causis secundis ad effectus suos producendos.

50. *Prima sententia est Durandi 2. d. 1. q. 5.* qui negat Deum influxu immediato producere effectus causarum secundarum; sed solum mediate, quatenus, tribuit illis virtutem effectivam, eamque in ipsis conservat.

Secunda sententia est, de facto Deum quidem immediate concurrere ad illos effectus, sed posse tamen produci illos effectus sine eo, quod ipse sic concurrat. Hanc sententiam non putat absurdam *Hurtadus disp. 10. scilicet. 2.* & *Arriaga* non invenit in ea repugnantiam, quamvis eam putet non esse veram, quia olet sententiam Durandi, quæ apud Theologos male audit.

Tertia sententia communissima est, Deum de facto concurrere immediate ad omnes effectus, qui immediate producuntur à causis secundis, & eos aliter produci non posse, etiam de potentia absoluta. Hanc tenet *D. in 1. d. 8. q. 5. & d. 42. in 2. d. 1. q. 1. & d. 37. in 4. d. 43.* quem omnes sui sequuntur, cum quibus etiam conveniunt omnes Thomistæ, & recentiores quantum ad primam partem, & quantum ad secundam quoque præter *Hurtadum*

& *Arriagam*. Sed ex Thomistis aliqui dicunt Deum ad effectum causarum secundarum concurrere immediate immediatione virtutis non vero immediatione suppositi: alij dicunt cum *Ferrarij contra gentes c. 7.* quod concurrat immediate etiam immediatione suppositi: & hi sunt, qui nobiscum totaliter sentiunt. Ut autem intelligatur diversitas utriusque modi dicendi, & nostra conclusio.

Aduertendum illam causam dici agere immediatione suppositi, quæ causa per actionem à se immediate egredientem & immediate terminatam ad effectum producit effectum illum; sic obiectum concurrat cum intellectu ad intellectionem; ignis ad producendum alium ignem. Illa vero causa dicitur producere effectum, seu ad ipsum producendum concurrere cum alia causa immediatione virtutis & non suppositi, quæ non habet actionem immediate à se ipsa egredientem terminatam ad effectum, sed communicat tum alteri causæ producenti virtutem productivam eius, sine qua nequireret ipsum producere: & sic concurrat causa calefaciens aquam cum eadem aqua ad calefaciendum. Illa denique causa concurrat immediatione virtutis & suppositi, quæ habet actionem immediate terminatam ad effectum, & ulterius communicat alteri causæ, cum qua concurrat, virtutem productivam, sine qua illa causa nequireret concurrere cum ipsa ad illum effectum.

CONCLUSIO I.

51. *Deus concurrat ad effectus omnes causarum secundarum immediate, etiam immediatione suppositi.* Hæc est commississima cum *Scoto* supra & Thomistis contra *Durandum* & *Ferrariensem* ac paucos Thomistas hunc sequentes.

Probatur prima pars, scilicet, quod immediate concurrat, variis Scripturæ testimoniis, quæ eam sic suadent, ut sententia Durandi, tanquam erronea communiter iudicetur: ego ex multis pauca proponam, 1. Corinth. 15. *Deus operatur omnia in omnibus.* Isai. 26. *Omnia opera nostra operantes es in nobis.* Act. 17. *In ipso vivimus, movemur & sumus.* Ex primis duobus locis habetur, quod omnes operationes & actiones creaturæ attribuantur Deo: ex tertio vero, quod omnes creaturæ dependant ab ipso in fieri & conservari & operari etiam: ergo Deus immediate concurrat ad omnes effectus.

Dices, sufficere, quod mediate concurrat, quia eo ipso posset absolute & simpliciter dici, quod concurrat & quod effectus dependant ab ipso: ergo non inferitur bene, quod immediate concurrat. Ego fateor, loca illa & quæcumque alia ad propositum spectantia, posse, quantum est ex se, sic intelligi: sed quandoquidem communiter Doctores intelligant illa ad sensum conclusionis, & nihil impediatur quin sic intelligantur, & præterea rationes adfunt efficacissimæ ad probandum, quod effectus dependent immediate à Deo, sic intelligenda sunt, & temerarium esset alio modo illa intelligere. Imo addo quod per eadem loca probetur etiam quæ bene secunda pars conclusionis: quia licet posset intelligi, quod Deus immediate produceret omnia immediatione virtutis, tamen, quia potest etiam immediatione suppositi, & communiter loca illa intelliguntur de illa immediatione, quam etiam rationes efficacissimæ confirmant; propterea sic etiam intelligi debet.

52. *Probatur prima pars ratione à Complutensibus;* quia creaturæ sunt entia per participationem essentialiter, & ideo dependent à Deo essentialiter: sed sine respectu ad causam secundam intermediam sunt talia entia: ergo immediate debent dependere à Deo.

Confirmant, & declarant amplius prædictam probationem: quia Deus consideratus, ut præsupponitur decreto suo absoluto, quo instituit, ut creaturæ haberent vim productivam suorum effectuum, habet tale esse, ut ex ipso tanquam ex causa immediata omne ens à creaturis producibile haberet dependentiam necessariam; sed per huiusmodi decretum non est mutatus modus essendi in Deo: ergo non obstat illo decreto, creaturæ debent habere immediatam dependentiam à Deo.

Hæc

Quid est
agere im-
mediatio-
ne suppo-
siti & vir-
tutis.

Hæc probatio mihi nequaquam placet, & multo minus confirmatio; unde respondeo pro Durando ad probationem, distinguendo maiorem: sunt entia per participationem, quatenus necessario debeant habere aliquam dependentiam à Deo, siue immediatam, siue mediatam, concedo; quatenus debeant habere dependentiam immediatam, nego maiorem, & id asserere absque ulteriori probatione, est petere principium; hoc enim est, quod directe negatur à Durando: distinguo etiam minorem: siue respectu ad creaturas sunt entia per participationem, seu dependentes essentialiter eodem modo, quo sunt cum illo respectu, nego; alio modo, concedo minorem & nego consequentiam.

Ad confirmationem etiam respondeo, (omittendo falsam hypothesin, quod scilicet per decretum Diuinum habeant creaturæ vim productiuam communicatam sibi, quæ possent esse sine tali virtute) concedendo maiorem, hoc est, quod creaturæ omnes deberent necessario à Deo immediate dependere, si non fuisset decretum, quo ordinaretur quod creaturæ ad alias creaturas producendas concurrerent. Distinguo autem minorem: non est mutatus modus essendi Dei quantum ad seipsum concedo, quantum ad modum quo produceret creaturas, nego; est enim evidens, quod tum mutaretur ille modus etiam in omni sententia; nam tum produceret creaturas se solo, supposito vero decreto non produceret se solo: & nego consequentiam. Itaque quemadmodum non obstante quod creaturæ sunt essentialiter entia per participationem à Deo, & non obstante etiam quod si alie creaturæ ad eas producendas non concurrerent, deberent necessario produci à Deo solo; tamen de facto dependent etiam à creaturis & non produciuntur à Deo solo, nec ab eo solo omnes conseruantur: ita etiam eo non obstante, si aliud non impediret, possent ab ipso dependere mediate tantum.

§ 3. Probat Mastrius hanc partem, imo totam conclusionem variis rationibus, quarum aliqua mihi non probantur. Prima est: Ens creatum dependet à Deo immediate in conseruari, ergo & in fieri: probat consequentiam tum quia conseruatio & productio sunt eadem omnino actio, tum quia dependet in conseruari, quia est ens participatum: sed in fieri est etiam tale ens, ergo dependet etiam sic in fieri.

Respondeo primo antecedens, licet sit verum de aliquibus creaturis, vt v.g. Angelis, & corporibus cælestibus & fortasse substantiis omnibus; non esse tamen magis certum de accidentibus, quæ necessario de facto exigunt causam secundam effectuum tam bene ad conseruationem quam ad productionem (vt est calor in igne intellectiones & actus vitales) quam ipsam conclusionem; unde male assumitur ad probandam conclusionem.

Respondeo secundo negando consequentiam: quemadmodum enim, licet conseruetur creatura aliqua à solo Deo, verbi gratia homo, inde tamen non sequitur quod in fieri dependeat à solo Deo: ita licet in conseruari dependeat à Deo immediate, inde tamen non sequitur quod in fieri ab ipso dependeat immediate. Vnde ad primam probationem consequentia respondeo negando conseruationem & productionem esse eandem actionem, quando non est eadem causa, quæ conseruat & producit: quod si etiam esset eadem actio, tamē hoc non obstante vt potest esse conseruatio Dei solius, quamuis productio non sit ipsius solius: ita etiam, eo non obstante, posset conseruatio esse à Deo immediate, quamuis productio non esset ab ipso immediate; neque enim facilius est actionem eandem nunc esse à duobus, nunc ab vno solo, quam nunc esse ab vno immediate, nunc non esse ab eodem immediate. Ad secundam probationem consequentia respondeo, non ideo esse conseruationem à Deo immediate, quia res conseruata est ens participatum solummodo; sed quia ulterius supponitur non esse aliam causam, à qua immediate proueniat: nam si esset talis causa, Durandus negaret eam esse à Deo immediate; & sane, an ita esset nec ne, tam incertum est quam conclusio. In fieri autem adest alia causa, à qua immediate fit: unde non est eadem ratio de fieri, & conseruari.

§ 4. Probat idem secundo conclusionem; quia essentialior est dependentia creaturæ cuiusque à Deo quam ab vlla alia creatura: ergo si dependeat ab alia creatura immediate in fieri, debet etiam sic dependere à Deo.

Contra, quia quidquid sit de antecedenti vniuersaliter loquendo (de quo dubitari posset propter accidentia respectus, quæ essentialiter dependent à subiecto sic, vt non minus repugnet illa esse absque Deo, quam absque subiecto) negatur consequentia: quia essentialior illa dependentia potest consistere in hoc, quod non possit existere sine Deo, possit verò existere sine causa effectiua secunda; hoc autem posset stare, quamuis à Deo solum mediate procederent, quando procedunt à causis secundis.

§ 5. Probat idem tertio ex Scoto specialiter, eo quod Deus concurret immediate ad actus voluntatis nostræ, quod si concurret sic ad illos, certum est quod sic concurret ad omnes effectus alios, quia nullus potius eximi deberet, quam actus voluntatis. Probat autem sic, quia alias Deus non esset nec omnipotens, nec omniscius: non omniscius, quia non posset cognoscere quid voluntas creata esset factura, nisi quatenus cognoscit determinationem suæ voluntatis, à qua immediate dependet actus voluntatis creata; non esset etiam omnipotens, quia non obstante determinatione suæ voluntatis efficaci, voluntas posset non habere illum actum, quem determinaret Deus; si enim est causa totalis actus, nec dependet ab immediato concursu Dei in productione eius, cur non posset eum non habere? Hæc probatio valeret, si ostenderetur, quod non posset impediri determinatio voluntatis creata à Deo absque necessitate concursus immediati ipsius ad illam determinationem; si enim posset eo non obstante impedire, & scire poterit quidquid illa determinabit, & nihil fiet, nisi quod ipse voluerit, patet: an autem posset Deus sic impedire iam declarabimus.

Probat ergo primo melius conclusio, quia, vt dicemus postea, ad Deum spectat determinare ad indiuiduum cuiuslibet speciei, quod produci debet, & impossibile est quod illa determinatio proueniat à causa secunda, siue libera, siue naturali: sed illa determinatio non posset prouenire à Deo nisi haberet concursum immediatum: ergo debet habere talem concursum.

§ 6. Probat idem secundo, principaliter conclusio, quia Deus potest impedire quoscunque effectus causarum concurrentium, alias sufficientissime applicatarum cum omnibus conditionibus prærequisitis ad agendum, præter concursum immediatum Dei: sed hoc nequit facere, nisi ille concursus esset necessarius; ergo est necessarius. Major patet tum ex igne Babilonico, qui applicatus tribus pueris non combussit illos sine vlio alio impedimento adhibito, præter impedimentum subtracti concursus diuini, tum etiam quia huiusmodi dependentia effectuum à Deo arguit perfectionem, ex suppositione, quod sit possibilis; sed est possibilis, cum nulla possit dari implicantia: ergo debet asseri. Nec valet dicere, quod Deus posset impedire tales effectus per productionem contrarij effectus, aut destructionem passi, aut causæ sufficientis: quia arguit perfectionem in Deo, quod possit directe absque productione contrarij, & absque destructione vlius alius creaturæ tales effectus impedire.

§ 7. Dices, posse Deum impedire huiusmodi effectus per hoc solum, quod nolit illum produci, quamuis effectus non dependeat à concursu ipsius immediato. Propter hanc replicam vulgarem existimat Arriaga non sufficere nostram probationem, nec tamen ipse meliorem affert; unde fatetur difficile posse ratione improbari sententia Durandi. Vt autem intelligatur melius vis replicæ, imaginandum est duobus modis posse creaturas in operando subordinari Deo: primo sic, vt indigerent concursu immediato eius, qui modus subordinationis est, quem asserimus in conclusione. Secundo sic, vt eo solum permittente, creaturæ, tamquam causæ adæquate, producerent suos effectus, & eo nolente non possent producere: & hæc subordinationis est, quam intendit replicæ hæc, & quæ sufficit Durando, vnde et vt valeat prædicta probatio, & impugnetur replicæ.

rephica, impugnandus est hic secundus modus subordinationis.

Contra quem sic argumentor: vel illa permissio diuina consistit in volitione aliqua positua Dei, qua vult, vt effectus producat a causa secunda, vel consistit in suspensione omnis actus. Si primum dicatur, habetur intentum nostrum, quia nullum alium concursum immediatum requirimus præter huiusmodi volitionem efficacem, qua posita ponitur infallibiliter effectus, & qua non posita non ponitur. Secundum dici nequit, quia nulla negatio potest esse principium physicum aut conditio physica requisita necessario ad aliquem effectum, nisi illa negatio tollat aliquod impedimentum physicum effectus: sed illa permissio diuina consistens in negatione non est negatio vilius impedimenti physici effectus necessario, quia suppono, quod posset impedire effectum absque impedimento aliquo physico, præter suam volitionem; unde si permissio diuina esset negatio impedimenti physici, quando absque impedimento physico impediret Deus effectum, haberet permissionem effectus, quia haberet negationem talis impedimenti, quod implicat: ergo permissio diuina nequit consistere in negatione impedimenti physici.

58. *Dices*, illam permissionem esse negationem volitionis diuinæ, qua nollit effectum produci, quæ volitio est impedimentum physicum effectus, quandoquidem ea posita non poneretur effectus.

Contra, quia nisi volitio diuina requiratur ad positionem effectus, volitio diuina non potest esse impedimentum effectus, quia volitio diuina non est forma villo modo directe opposita effectui producendo, verbi gratia, calori aut volitioni creatæ sic, vt possit eam expellere eo modo, quo opposita expellunt se mutuo ab eodem subiecto, nec per eam tollitur aliquod principium posituum requisitum ad productionem istius effectus, præter volitionem diuinam (quæ hic supponi debet non requiri, quia alias requireretur concursus immediatus) ergo non potest esse impedimentum physicum effectus.

Dices, tolli per eam permissionem Dei, quæ est conditio necessario requisita ad productionem effectus.

Contra, quia per hanc rephicam committitur circulus vitiosus; nam prius dicebatur permissionem requiri, quia tolleret volitionem, quæ erat impedimentum physicum; & modo dicitur volitionem esse impedimentum physicum, quia tollit permissionem, quæ requiritur, unde vnum per alterum, & e contra probatur.

Contra secundo, quia si per impossibile posset esse permissio diuina simul cum volitione, volitio non esset impedimentum physicum effectus, & tamen effectus non egrediretur tum a causa secunda magis, quam si non esset illa permissio: ergo illa permissio non potest esse ex se conditio necessario requisita. Probat antecedens, quia omnis conditio necessario requisita ad hoc vt causa aliqua agat, debet præstare ipsi aliquid, quod alias non haberet: sed illa permissio negatiua nihil prorsus præstat causæ ex se: ergo non minus ageret ea absente, quam presente. Major patet inductione in omnibus aliis requisitis: nec mihi videtur posse bene concipi, quomodo vna causa posset ita esse subordinata alteri causæ, vt ab illa negatione, quæ esset in ipsa, dependeret, nisi illa negatio esset negatio aut principij requisiti ad agendum, aut impedimenti positui: nec possum concipere quomodo posset volitio vilius esse impedimentum physicum vilius effectus, nisi volitio physica ipsius esset requisita ad talem effectum: circa quod videri possunt vterius quæ dixi in commentario ad tertium sententiarum *disp. 25 n. 37. & seqq.*

59. Ad hanc probationem reduci debet alia desumpta ex perfectissimo dominio Dei, quod exigere videtur, vt creaturæ ab ipso immediate dependant. Si enim posset ita se habere, vt absque influxu aut concursu immediato producerentur, conseruarentur ac destruerentur res, etiam absque tali concursu haberet tam perfectum dominium, quam deberet habere, & perinde prorsus esset quod dependerent ab ipso mediate aut immediate: sed quia ex dictis, nisi concurreret immediate non posset immediate ac

directe destruere res, sequitur quod absque tali concursu non haberet perfectissimum dominium quod posset habere.

Iam probatur secunda pars conclusionis, quia illa volitio Dei, quæ necessario exigitur ad productionem effectus, immediate egreditur ab ipso Deo: ergo per eam concurrunt immediate suppositi: sic enim concurrere non est aliud, quam concurrere per actionem à se immediate egredientem. Quod si etiam præter volitionem diuinam reperiretur alia actio, vt per eam produceretur effectus, quæ actio reperiretur ex parte effectus, non esset vlla prorsus ratio, cur illa actio non diceretur immediate egredi à Deo tam bene, quam à causa secunda: unde nulla esset ratio cur Deus non diceretur per eam producere effectum immediate immediate suppositi.

Obiicies primo pro Durando: ipsam causam secundam habent sufficientem virtutem ad producos effectus sibi correspondentes, verbi gratia ignis ad producendum ignem, calor ad producendum calorem: habent enim vel tantam perfectionem, vel maiorem, quam habent effectus: ergo se solis producant effectus absque concursu diuino immediato.

Respondeo, negando antecedens: nam ex ratione causæ secundæ habent essentialem subordinationem ad causam primam sic, vt indigeant concursu ipsius, vt patet ex rationibus conclusionis: nec refert quod habeant tantam aut maiorem perfectionem, quia cum hoc potest stare talis subordinatio.

61. *Obiicies secundo*, Si Deus, & ignis deberent concurrere ad ignem, deberet aliqua pars ignis esse correspondens Deo, & alia igni: sed hoc est absurdum, quia illa pars, quæ responderet igni, esset creatura non minus, quam alia pars, & consequenter non minus deberet à Deo immediate dependere.

Respondetur, negando sequelam; sed totus ignis indiuisibiliter ab vtroque debet provenire, sicut intellectio indiuisibiliter producit ab intellectu, & obiecto, aut specie impressa.

Dices inde sequeretur, quod Deus esset causa partialis, sed hoc est inconueniens. *Respondeo* negando minorem præsertim cum id accidat ex mera voluntate sua, quia posset se solo efficienter illum producere.

Obiicies tertio, non possunt dari duo fines immediati vnius effectus: ergo neque duæ efficientes.

Respondeo distinguendo antecedens: quorum quilibet sit finis totalis, transeat; quorum quilibet sit finis partialis, nego antecedens, & similiter distinguo consequens. Quod si non possent dari duo fines subordinati, & partiales, id oriretur ex natura particulari causæ finalis, seu ex repugnantia aliqua, quæ inde sequeretur ob illam naturam particularem, qualis repugnantia non sequitur ex pluralitate efficientium: vt patet quotidiana experientia: Unde si verum esset simpliciter antecedens, negari deberet consequentia.

62. *Obiicies quarto*. Sequeretur Deum concurrere immediate ad actus peccaminosos, & consequenter eum esse causam peccati contra *Trid. sess. 6. canone 6. Si quis dixerit mala opera ita, vt bona Deum operari, non permittit solum, sed etiam proprie, & per se adeo vt sit proprium opus eius non minus propositio Iuda, quam vocatio Pauli; anathema sit.*

Respondet primo hanc objectionem soluendam esse ipsi Durando: nam in ipsius sententia, saltem debet esse causa mediata peccati, sicut est causa mediata actus boni: ergo tam est causa actus mali, quam boni: quod si non obstante concursu mediato ad vtrumque actum, dici possit simpliciter causa actus boni, & non mali: ita etiam dici poterit non obstante concursu immediato.

Respondet secundo relinquendo exactionem huius rei discussionem pro materia de peccatis, distinguendo sequelam primam: per modum causæ vniuersalis, sine cuius concursu causa secunda non committeret talem actum, concedo sequelam: alio modo, nego sequelam primam: distinguo etiam secundam: eum esse causam physicam vniuersalem ipsius, concedo; causam physicam particularem,

Quomodo
Deus non
sit causa
peccati.

larem, aut causam moralem, cui deberet imputari culpabiliter, quod committatur peccatum: nego sequelam secundam. Itaque quia Deus non concurrit nisi per modum causæ vniuersalis ad peccatum, & quia ipsemet dissuadet, & prohibet, ne committatur, nec alia auxilia dat in ordine ad commissionem ipsius, propterea non debet attribui ipsi, quod committatur peccatum; sed causæ secundæ, quæ non obstante prohibitione, & sine vlla obligatione causæ vniuersalis ipsum committit. Quia vero non solum per modum causæ vniuersalis concurrit ad actus bonos, sed etiam inuitat ad eos, ordinando, & præcipiendo illos, dandoque auxilia particularia, quæ non deberet præstare, quatenus causa vniuersalis est, propterea est causa non solum vniuersalis, sed particularis actuum bonorum, & ipsi acceptum referri debet quod exerceantur.

Confirmatur hæc responsio; quia quamuis Deus non concurreret immediate ad actus malos, tamen certum est quod eos posset impedire.

63. Quod si aliquis argumentaretur inde, quod ipse esset causa moralis peccatorum, cui ipsorum commissio attribui deberet, eodem modo, quo homo potens impedire commode peccatum alterius, deberet illud impedire, & maxime si esset superior ipsius, quemadmodum Deus est omnium creaturarum, & si non impediret, censeretur causa moralis peccati sic, vt commissio ipsius deberet ipsi attribui, si non impediret.

Respondetur negando partem, quia Deus licet posset impedire, deberet tamen ex ratione causæ vniuersalis præstare concursum, & non teneretur se gerere, vt causam particularem; homo autem non habet obligationem causæ vniuersalis, & præterea habet præceptum charitatis, ex quo tenetur, si potest commode, impedire damnum proximi; ergo similiter quamuis Deus præstaret concursum immediatum ad actum peccaminosum; si tamen illum præstaret ex obligatione causæ vniuersalis, non deberet commissio peccati ipsi attribui culpabiliter, sic scilicet, vt deberet dici male facere præstando talem concursum, quamuis homo præstando talem concursum deberet dici male facere. Sed de hoc, vt dixi, fusius alibi.

CONCLUSIO II.

64. *Non potest etiam de potentia Dei absoluta produci aliquis effectus exigens concursum immediatum causa secundæ, absque concursu immediato Dei.* Hæc est communissima contra Huradum & Arriagam supra.

*Probat*ur ex dictis; quia si posset produci etiam de potentia absoluta absque tali concursu, de facto sic produceretur, & sane superflue præstaretur ille concursus de facto; id quod in causis naturalibus mihi est euidens, de quibus tamen ac causis liberis creatis, quantum ad hoc est eadem ratio.

Confirmatur efficaciter; quia si posset absque concursu Dei immediato ignis produci ab alio igne sufficienter applicato: ergo Deus non posset, nec de potentia absoluta, impedire immediate illam productionem, neque enim potest sic illam impedire, vt supra ostendi, nisi subtrahendo concursum: sed adhuc subtracto concursu illo esset sufficiens principium illius productionis: ergo adhuc sequeretur talis productio.

Dices posse illam impedire per nolitionem: quamuis enim posset effectus produci volente Deo, atque adeo ipso immediato concurrente, & etiam permittente Deo, hoc est, nec volente, nec nolente; tamen sufficeret ad impediendum effectum, quod accederet nolitio, quia aut volitio aut permissio essent conditiones necessario requisitæ ad illam, ergo quamuis absque concursu immediato posset effectus produci, tamen posset adhuc immediate impediri.

65. *Contra*; quia intelligibile est quomodo per nolitionem posset impedire, nisi quatenus per nolitionem illam tolleretur aliquod ex principiis, aut conditionibus prærequisitis, aut per eam poneretur aliquod impedimentum distinctum à se ipsa: sed, si volitio diuina non sit necessario requisita ad effectum, per nolitionem non tollitur

aliud ex necessario requisitis, & ex alio capite suppono nihil aliud positum poni per illam nolitionem, quod esset impedimentum: ergo per nolitionem illam nequit impediri.

Dices per nolitionem tolli permissionem, quæ est conditio necessario requisita, ex suppositione, quod volitio non sit necessario requisita nec habeatur.

Contra; quia illa permissio Dei tam impertinens est ad effectum, quam permissio negatiua cuiuscunque alterius creaturæ, nisi quatenus nolitio Dei esset impedimentum, & nolitio creaturæ alterius non esset, sed nolitio non potest esse impedimentum, nisi quatenus volitio est necessario requisita, ergo si non sit requisita volitio, Deus de facto nequiter impedire dicitur illam productionem.

*Probat*ur ultimo: impossibile est, quod aliquis effectus proueniat à causa secunda, quin sit aliquid, quod determineret ipsam ad vnum individuum præ alio: sed nihil potest sic determinare absque concursu immediato Dei: ergo necessario debet adesse in omni casu concursus immediatus Dei.

66. *Obiicit*: potest Deus producere aliquid aliud, quo suppleatur immediatus concursus suus; ergo de potentia absoluta potest effectus produci absque tali immediato concursu. *Probat*ur antecedens, quia licet de facto videatur Deus à Beatis, absque specie, ipsomet Deo immediate concurrente per modum obiecti, potest tamen produci à Deo species, quæ suppleat concursum illum immediatum obiecti: ergo similiter licet Deus concurreret de facto immediate ad effectus causarum secundarum; tamen posset producere aliquid aliud, quod suppleat talem concursum.

Respondetur, negando antecedens; ad cuius probationem respondeo primo negando consequentiam; quia ex eo, quod posset suppleri concursus ille immediatus Dei per modum obiecti, non sequeretur aliqua imperfectio in Deo; sequeretur autem ex eo, quod suppleretur concursus ille immediatus ipsius, qui est necessarius, vt ipse posset immediate & directe impedire productionem causæ, neque effectus, non obstante applicatione causæ secundæ.

Respondeo secundo ad eandem probationem, concursum immediatum Dei per modum obiecti non esse concursum effectuum, sed terminatum; neque enim per essentiam diuinam producit etiam partialiter illa visio, quatenus essentia est, sed quatenus est omnipotens: concursus autem ille terminatiuus nequit suppleri per aliquid aliud, quia etiam si Deus posset videri mediante specie, tamen illa species non terminaret illam visionem, quia alias esset abstractiua, sed species concurreret per modum principij effectiui ad illam visionem, & si daretur, suppleret illam partem, vt ita dicam, illius concursus, quem Deus præstaret de facto ad illam intellectionem, ex suppositione, quod de facto illa visio non produceretur per speciem, sed posset tamen produci; quod totum intelligitur melius ex dicendis in materia de visione: neque enim hic omnia pertinentia ad alias materias exacte tradenda sunt, sed multa ad sua propria loca referenda.

QVÆSTIO VI.

An præter concursum immediatum Dei requiratur vt præmoneat causas secundas per aliquam qualitatem Physicam.

67. *E*Xaminando hanc quæstionem philosophice, & quoad actus ac effectus pure naturales absque dependentia à principiis fidei, quæ examinanda relinquo in materia de auxiliis: tum quia illa principia Theologica sunt, tum vt obediā decretis Apostolicis cauētilis ne indirecte etiam hic aut alibi tractetur materia de auxiliis absque speciali licentia.

Prima sententia est Thomistarum dicentium quod ex principiis Aristotelis, & per rationem naturalem colligitur, ad hoc vt causa secunda agat, non solum necessarium esse quod Deus cum illa actualiter & immediate concurrat ad effectum, sed etiam quod debeat præmoueri per aliquam

Non potest effectus produci absque concursu immediato.

aliquam qualitatem physicam antecedentem actionem: hac ratione dicunt quod Deus concurrat immediate ad effectus quoscunque, non solum immediatione suppositi, sed etiā immediatione virtutis, quatenus scilicet communicat virtutem causis secundis, à qua egreditur immediate actio causæ secundæ. Hanc expresse tenent *Complut. disputat. 11.* & dicunt eam esse communem inter antiquos Philosophos, ac inter Thomistas tam antiquos quam recentiores.

Secunda sententia, iam absolute communior est, non præmovere Deum causas secundas per communicationem huiusmodi qualitatis distinctæ à qualitibus connaturalibus ipsarum causarum secundarum, & transeuntis statim ac transeunt effectus, aut producuntur. Hæc est *Doctores in 4. distinct. 1. question. 1.* quem præter suos recentiores omnes sequuntur.

CONCLUSIO I.

Causa secunda non debet præmovere physicè à Deo ut agat.

68. *Nec secundum Philosophum, nec secundum rationem naturalem ullam, causa secunda debet præmoveri ad eundem per aliquam qualitatem physicam præuiam ad actionem, & transeuntem transacta actione.* Hæc est iuxta secundam contra primam; loquor autem, ut ante dixi, de actione pure naturali.

Probatur prima pars, nimirum quod secundum Philosophum talis præmotio non requiritur, maxime quia *lib. 8. physicorum tex. 33.* habet hæc verba. *Verumque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum; illud enim mouet vltimum, sed non hoc, primum; & sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc, ut baculus non mouebit non mouente homine.* Sed ex hoc loco nihil inferri potest contra conclusionem pro aduersariis; ergo secundum Philosophum, illa præmotio per physicam qualitatem asserenda nequaquam est. Probatur maior quia aduersarii alium locum saltem magis fauentem non adducunt. Probatur minor, primo, quia Philosophus optime intelligi potest de corporibus, quæ mouent se subordinate motu locali, & quorum vnum non mouet alterum localiter, nisi ipsi summet sic moueatur: de his enim verum est quod necessario recurrendum sit ad aliquod primum quod sit immobile, & à quo cætera quæ mouent, mouentur, quia alias daretur processus in infinitum, sed quamuis esset verum quod huiusmodi corpora deberent physicè præmoveri per qualitatem physicam, non esset eadem ratio de cæteris causis secundis, quæ agunt: ergo ex illo loco nihil habetur contra conclusionem. Probatur minor ostendendo disparitatem inter talia corpora, & alias causas; quia cum illa corpora non moueant alia corpora nisi ipsamet moueantur localiter, ut patet experientia: mouent enim alia corpora occupando eorum loca, quandoquidem ipsa ex se non habeant virtutem loco moriuiam sui, quod supponendum est, ut probatio Aristotelis valeat, debent necessario præmoveri ab aliqua causa, cui propterea principaliter omnes motus sequentes primam motionem tribuuntur. At alia causæ secundæ, verbi gratia, aqua, ut frige faciat se non debet moueri localiter; nec est vlla ratio aut congruitas, cur, ut se frige faciat, debeat præmoveri physicè; ergo non est idem dicendum de cæteris causis, ac corporibus mouentibus localiter alia corpora. Confirmatur hæc explicatio exemplo baculi, & hominis, quo vtitur ipsemet Philosophus: nam & hominis, & baculi motus sunt locales.

69. *Complutenses* mirantur viros doctos adhibere hanc responsionem: quia Aristoteles inuestigat ibi ex causis secundis mouentibus primum motorem æternum, immobilem, infinitum: ergo non agit de corporibus tantum mouentibus, & mobilibus, sed de subordinatione causarum secundarum ad primum motorem.

Sed facile negari posset hæc consequentia: nam ex illismet corporibus mouentibus, & mobilibus posset inuestigare primum illum motorem.

Probatur eadem minor principalis secundo, explicando locum Aristotelis alio modo: primum mouent mouet vltimum mouens, quatenus infundit ipsi talem qualitatem,

qualem asserunt aduersarii, nego id voluisse Philosophum; quatenus dat ipsi occasionem mouendi aliud, seu agendi, applicando ipsum ad passum, & auferendo impedimenta ac præstando ipsi concursum suum ad effectum, concedo locum Aristotelis: sed in hoc sensu non præiudicat conclusioni.

Confirmatur hoc, quia alius sensus non debet adscribi Philosopho cum honore ipsius, quam ille, quem ipse discursu naturali poterat colligere: sed quod causæ secundæ deberent moueri per huiusmodi qualitatem, non poterat colligere vllō naturali discursu, poterat autem sic colligere quod applicatio causarum tali tempore, loco, circumstantiis, & ablatio impedimentorum deberet vltimate in primum motorem refundi: ergo quod asserit de motione causarum secundarum, potius intelligendum est, ut nos intelligimus, quam intelligunt aduersarii.

70. *Probatur conclusio quoad secundam partem*, nimirum, quod ratione naturali probari non possit præmotio illa aduersariorum, soluendo rationes, quas aduersarii asserunt.

Prima ratio, quam ex S. Thoma adducunt Complutenses: Deus concurrat ad actionem causæ secundæ, non solum quatenus est causa illius actionis, sed quatenus per suum concursum est causa eiusdem actionis, prout est ab illa causa secunda; causa vero secunda non est causa illius actionis, quatenus est à Deo: ergo Deus per suum concursum facit acta, quod causa secunda necessario agat, & consequenter concurrat per aliquid præuium & intrinsecum, per quod physicè mouet causam secundam ad operandum. Probat antecedens, quia illa actio, prout à causa secunda est aliquid creatum: ergo ut sic est à Deo. Probat etiam vltimam consequentiam, quia si Deus facit, ut causa secunda habeat illam actionem, oportet ut ponat in illa aliquid, quo faciat, ut habeat illam actionem, quia si solum daret ipsi ut ageret, quatenus dat ipsi esse & potentias operatiuas, solum remote concurreret ad illam actionem, prout est à creatura: ergo.

Confirmant, quia ratio entis creati transcendit omnes rationes, quæ in creaturis sunt: ergo non solum actio creaturæ debet esse à Deo quomodocumque, sed etiam ipsa causa secunda habebit à Deo tum esse, tum virtutem operatiuam, tum etiam principium actuale operandi.

Respondetur (quidquid sit de antecedenti, circa quod multa dici possent) distinguendo vltimum consequens: per aliquid præuium distinctum ab ipsa causa secunda & suis accidentibus connaturalibus, & applicatione ac remotione impedimentorum, nego consequentiam: per aliquid præuium, quod sit ipsa virtus agendi connaturalis causæ secundæ, & applicatio illa ac ablatio impedimentorum, transeat consequentia. Ad probationem vltimi consequentis similiter distinguo antecedens: aliquid intrinsecum, quod sit virtus agendi connaturalis, concedo; quod sit quid ab illa distinctum, nego antecedens: & ad probationem illius dico non esse inconueniens, quod Deus non sit alio modo ratio agendi causæ secundæ, quam quatenus dat ipsi seipsam, & suas virtutes, ac applicationem, & quatenus præterea immediate cum ipsa concurrat.

71. *Ad confirmationem respondeo* concedendo totum, sed nego illud principium actuale operandi antecedens actionem: esse quid distinctum à virtute actiua connaturali causæ secundæ. Quod si intelligunt per illud principium actuale, aliquid aliud distinctum ab illa virtute, nego consequentiam pro illa parte: quia actio creaturæ, & quidquid est in illa secundum omnem considerationem, inuoluet rationem creaturæ absque communicatione talis principii actualis.

Confirmatur tota hæc responsio: actio, quæ procederet ab illa qualitate physica, ut ab illa procederet formaliter loquendo, vel esset creatura & procedens à Deo, vel non esset: si non esset: ergo non esset inconueniens, quod actio, quæ procederet à creatura absque illa qualitate, ut procederet à creatura, non esset à Deo, nec esset creatura: quidquid enim monstrat primum non esse inconueniens, monstrat idem de secundo.

Si esset

Quinta ratio aduersarii fatigum.

Si esset ut sic à Deo, & si esset creatura: tunc sic: Actio ut procedit à tali qualitate, est à Deo, & est creatura, quamvis Deus aliam qualitate non communicet illi qualitati: ergo quamvis procederet ab ipsamet virtute connaturali causæ secundæ absque qualitate aliqua superaddita, ut sic procederet esset à Deo, & esset creatura; & consequenter, neque ex ratione creaturæ, nec ex eo quod sit à Deo, quatenus procedit à creatura, debet provenire ab aliqua qualitate distincta à virtute activa creaturæ.

72. *Secunda ratio* eorundem est hæc: sequeretur, quod causa secunda esset primum se movens, & primum se determinans ad illam operationem; sed hoc est falsum, quia alias darentur plura prima principia, & prima momenta.

Confirmatur, quia ignem esse principium actuale operationis, & determinans, id est movens ac determinans se, absque eo, quod moveatur ab alio priori per qualitatem illam physicam, concedo maiorem, nec id est inconueniens; primum se movens ac determinans, ita ut non dependeat à concursu alterius, ac applicatione & ablatione impedimentorum per aliam causam faciendam, nego maiorem.

Respondetur, distinguendo maiorem: esset primum se movens, ac determinans, id est movens ac determinans se, absque eo, quod moveatur ab alio priori per qualitatem illam physicam, concedo maiorem, nec id est inconueniens; primum se movens ac determinans, ita ut non dependeat à concursu alterius, ac applicatione & ablatione impedimentorum per aliam causam faciendam, nego maiorem.

Dico Deum indigere concursu creaturæ ad actiones vitales: & tamen hoc non obstante est prima causa istarum actionum; ergo quamvis causa secunda indigeret concursu Dei, hoc non obstante posset esse prima causa aut primum movens.

Respondeo negando consequentiam; quia alio modo Deus indiget concursu causæ secundæ ad operationes vitales (si tamen hoc ipsum sit necessarium, de quo suo loco) alio modo dependent causæ secundæ à concursu Dei; nam causæ secundæ indigent concursu Dei sic, ut nec ipsamet possint vlla ratione efficere, ut necessariò præstetur ipsis ille concursus. Deus verò non sic indiget, quin ipso volente omnino præstetur concursus causæ secundæ. Deinde causæ secundæ non solum indigent concursu Dei ad suas operationes, sed ad suum proprium esse; Deus verò non sic indiget causis secundis.

73. *Confirmatur* totum hoc, quia ignis, verbi gratia, qui cum qualitate illa aduersariorum est causa secunda, vel mouet se primo ad operationem sequentem, vel non. Si mouet se primo: ergo est primum movens, & consequenter non est inconueniens, quod causa secunda sit primum movens. Si non mouet se primo: ergo nec ignis solus absque tali qualitate moueret se primo. Quod si dicas non esse inconueniens, quod causa secunda mota à Deo per qualitatem aliquam primo se moueat, absque ulteriori motione: ergo similiter non esset inconueniens, quod ignis absque qualitate illa aduersariorum, per hoc, quod moveatur à Deo per qualitates sibi connaturales, primo se moueat absque ulteriori motione.

Ad confirmationem aduersariorum respondeo negando antecedens: si enim loquamur de principio actuali operationis, id est, de principio, quod actualiter operatur, & de principio, quod est ex natura sua determinatum in actu primo ad talem operationem, non distinguitur à causa secunda aut virtute activa & applicatione ad tale passum in talibus circumstantiis, &c. Si verò loquamur de principio actuali operationis, id est, de principio actualiter operante ac determinato in actu secundo, formaliter loquendo, non distinguitur realiter à causa secunda, & operatione, per quam operatur & determinatur in actu secundo.

74. *Tertia ratio* eorundem est: causa secunda nequit agere, quin Deus cogat simultaneè cum illa: ergo debet præmoueri ab illo. Probatur consequentia, quia quando due causæ coagunt ad aliquem effectum, vel vna alte-

ram mouere debet, vel vtraque moueri debet ab aliquo tercio, alias casualiter sequeretur illa simultas concursuum, & Deus cæco modo & ignoranti influeret, quia nesciret, quando causa secunda esset adhibitura suum concursum.

Confirmatur, ut Deus concurret cum igne simultaneè, oportet, ut prius ordine naturæ intelligatur paratus concurrere cum illo: sed non potest intelligi sic paratus, nisi aliquid imprimat ipsi præuium ad actionem: ergo. Probatur minor, quia esse sic paratum est aliquid, quod non esset, si Deus decerneret non velle concurrere: ergo debet esse aliquid distinctum à Deo, & causa secunda; sed non potest se tenere ex parte Dei: ergo ex parte creaturæ, & consequenter debet esse quid superadditum creaturæ, quia nihil aliud mutaret ipsam.

75. *Respondetur*, negando consequentiam cum sua probatione, quandoquidem enim Deus scit naturam ignis, v.g. esse comburere in tali applicatione, si tribuatur ipsi concursus generalis; & cognoscat etiam illum hic & nunc esse sufficienter applicatum; & præterea liberè præstet suum concursum, quomodo potest dici, quod casualiter, aut cæco modo concurret cum igne ad talem effectum? Quod si Deus naturaliter ageret ad talem effectum cum igne absque scientia, cæco quidem modo concurreret sicut ignis, sed non casualiter, nisi quatenus casus esset, quod sic applicaretur ignis; sed omnino per se.

Confirmatur, quia Deus concurrente cum igne præmoto per qualitatem illam, vel cæco modo concurret, vel non: si cæco modo: ergo non est inconueniens, quod cæco modo concurret: si non; ergo nec quando concurret cum igne non præmoto per talem qualitatem. Probatur hæc consequentia; quia ignis sine qualitate illa est tam determinatus ad agendum, supposito concursu Dei, quam cum illa; & Deus tam scit, quod ignis sit combusturus in talibus circumstantiis, supposito suo concursu actuali, ac si haberet illam qualitatem; ergo si posita qualitate non concurreret cæco modo nec casualiter, nec ea non posita sit concurret.

76. *Dicunt Complutenses*, naturam ignis esse comburere, si non impediatur, posse autem impediri illum, aut per causas secundas fortiores, aut per miraculum: ergo nisi Deus præmoueret, nesciret an hic & nunc concurreret.

Miror sane replicam: sed breuiter respondeo, negando consequentiam, quia Deus hic & nunc quando concurret scit non futurum miraculum, nec adfuturas causas secundas fortiores impediens, siue scientia media, siue absoluta; quod mihi euidenter apparet.

Ad confirmationem aduersariorum respondeo, negando minorem, & distinguendo consequens probationis: aliquid positium, nego; aliquid negatiuum, concedo, & nego subsumptum, quia illud negatiuum, quod vltius requiritur, ut Deus dicatur paratus concurrere in actu primo antecedenter ad actualem determinationem vllam concurrendi, est negatio istius decreti de non concurrendo; quæ negatio se habet ex parte Dei.

CONCLUSIO II.

77. *Absolutè & simpliciter dicendum est*, quod causa secunda non debeant præmoueri à Deo per qualitatem vllam physicam distinctam à suis qualitatibus connaturalibus ad effectus naturalis ordinis. Hæc est eorum, qui tenent præcedentem contra Thomistas: & sensus directus est, quod ignis, verbi gratia, cum suo calore applicatus stupæ, & remotis cæteris causis impediens, possit cum concursu actuali Dei comburere ac calefacere absque eo, quod Deus præmoueat ipsum in illo instanti, quo applicatur & quo comburit, per vllam qualitatem distinctam à calore, & reliquis, quæ sunt connaturales igni.

Probatur primo sufficientissimè ex communissimo, & verissimo axioma, quod non sint multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla prorsus est necessitas talis qualitatis, ergo non est afferenda, Maior patet primò, ex reiectione authoritatis Philosophi, ac rationum, quibus

Causæ secundæ non debent præmoueri physicè ad effectus naturales.

quibus aduersarij potissimum innituntur: patet secundò, quia ipsemet ignis ex se habet sufficientem proportionem, quantum requiritur ex parte causæ secundæ, ad calefaciendum, quando debite applicatur, ablatis impedimentis, & ad hoc, quod plenissime subordinetur causæ primæ, sufficit, quod non possit agere, nisi dependenter à concursu causæ primæ, quem concursum possit causa prima, vel negare vel præstare ad libitum, sicuti sufficienter subordinatur intellectus obiecto per hoc, quod non possit agere, nisi concurrente obiecto per se aut suam speciem, quamuis obiectum non imprimeret ipsi aliquam qualitatem præuiam: ergo non est necessitas qualitatis præmouentis.

Confirmatur hoc, quia idem ignis cum suo calore non esset determinatus sufficienter absque illa qualitate ad calefaciendum, vel quia est creatura, & causa secunda, vel quia non est æqualis aut maioris perfectionis, quam effectus productus; vel quia non constat experientia, quod ad eius præsentiam ablatis impedimentis fiat calefactio: sed secundum, & tertium membrum sunt manifestè falsa; primum autem non impedit; quia ignis cum qualitate superaddita est sufficienter determinatus, & tamen est creatura & causa secunda, ergo ignis etiam cum calore, non obstante, quod sit causa secunda & creatura, potest dici sufficienter determinatus absque qualitate superaddita, atque adeò superfluit qualitas superaddita.

78 *Dices* non idem ignem non determinari sufficienter, quia est creatura quomodocunque, sed quia creatura talis rationis possit impediri ab effectu suo, vel miraculosè, vel per causas secundas alias fortiores; cum autem cum qualitate illa esse quidem causam secundam, sed talis naturæ, ut non possit, nec miraculosè, nec per alias causas secundas impediri.

Contra primò, quia hinc sequeretur, quod ignis supposito, quod Deus decerneret non facere miraculum impeditiuū ipsius, nec permittere ut aliqua causa secunda adesset, quæ ipsum posset impedire, esset determinatus ex se absque qualitate superaddita; ergo non exigitur illa qualitas vniuersim, ut dicunt aduersarij. Deinde si non requiritur nisi ut impediatur miraculū, ac alias causas, illa possunt æquè commodè impediri per decretum Dei, quo non velit facere miraculum, nec applicare alias causas secundas impeditiuas; ergo ad hoc etiā frustra ponitur illa qualitas.

Contra secundò, ista qualitas non sufficit ut ponatur effectus absque concursu actuali Dei, ut aduersarij communiter docent, quia aliàs conueniunt cum Durando, quandoquidem Deus non cōcurreret ad calefactionem immediate immediatione suppositi, sed solum immediatione virtutis: ergo posset per miraculum impediri, ut si Deus vellet negare illum suum concursum actualem; unde cum non posset impedire ignem applicatum nisi miraculosè, sequitur quod ignis ex se sit tam determinatus, quam illa qualitas. Dicere autem quod Deus necessitetur ad dandum suum concursum actualem posita illa qualitate, est omnino inconueniens, quæ enim virtus posset esse in causa vlla creata imaginabili, ut posset Deum omnipotentem ex se cogere ad cōagendum?

79 *Contra tertio*, si illa qualitas sit ita determinata ad agendum, ut supponitur in replica, erit ipsamet actio, per quam in actu secundo determinatur agens ad producendum effectum: sed hoc est contra aduersarios, tum quia dicunt actionem non esse in agente, sed in passio; tum quia illi dicunt esse eam qualitatem præuiam ad actionem. Probatur sequela maioris; quia habet omnes condiciones requisitas ad actionem, ea enim posita, necessariò determinatur causa agere ita ut nulla ratione possit non agere, & ea posita, effectus similiter necessariò ponatur; nec remanet, nisi quandiu effectus est in fieri, & conseruari dependens ab illo agente: sed nihil prorsus aliud requiritur ad actionem, de prædicamento actionis.

80 *Confirmatur*: idem ponitur aliqua actio distincta à virtute agendi, qua constituitur agens potens producere effectum in actu primo; quia agens potest esse existens cum illa virtute absque eo quod agat, & si non posset, profecto gratis, & absque villo fundamento requireretur actio

distincta: ergo si posita illa qualitate, necessariò causa est agens, & non potest esse agens absque illa, non debet habere actionem distinctam ab illa qualitate, & consequenter illa qualitas erit actio ipsius, & consequenter vltimè non erit qualitas.

Alias probationes quas principalissimas, nempe quod sequeretur tolli libertatem, si ad actus liberos requireretur huiusmodi qualitas, & quod etiam Deus esset per se causa actus peccaminosi, omitto tractare ac proponere, ne videar, vel indirectè tractare aliquid spectans per se ad materiam de auxiliis.

81 *Obiicies*: causa secunda non agunt nisi in virtute primæ, & nisi ab ea promoueantur, excitentur, adiuuentur, & applicentur; ergo aliquam entitatem recipiunt à Deo quando agunt; non aliam, quam qualitatem prædeterminantem: ergo.

Confirmari posset variis locis Patrum, & Conciliorum quibus significetur, quod Deus antequam agant causæ secundæ liberæ, moueat ipsas intrinsecè.

Respondeo distinguendo consequens: aliquam entitatem, quæ sit talis qualitas, quæ asserunt aduersarij, nego consequentiam; quæ non sit talis, transeat consequentia. Itaque causæ secundæ omnes possunt dici non agere, nisi in virtute primæ, quatenus non agunt nisi per virtutem communicatam ipsi à prima, id est per suas potentias, & qualitates connaturales, quas recipiunt à causa primæ; & etiam quatenus non agunt, nisi concurrente prima per concursum immediatum actualem, quo non concessio nihil agerent; & in hoc ipso sensu possunt dici non agere, nisi adiuuentur & confortentur à prima.

82 *Deinde*, quia non possunt agere circa subiecta distincta, nisi applicantur illis, & non possunt applicari nisi concurrente Deo, optimè sequitur quod nequeant agere circa talia obiecta aut passa nisi applicentur à Deo, vel tantquam causa totali, vel tantquam causa partiali applicationis, quamuis nullam qualitatem actiuam reciperent, aut aliam vllam entitatem præter applicationem. Dixi autè, circa obiecta aut passa distincta, quia absque vlla applicatione propriè dicta posset producere in se frigus, si produceretur sine frigore aut cū calore; unde illud de applicatione, si intelligatur propriè, non debet intelligi vniuersaliter necessariò, sed quando agens, & passum possunt esse sine applicatione sufficienti.

83 Quantum denique ad illud, quod non agant causæ secundæ, nisi excitentur aut moueantur; dico, si intelligatur aliud per moueri, & excitari, quam applicari, non esse verum quod causæ secundæ naturales non agant, nisi moueantur & excitentur; neque enim ignis applicatus stupet exigit vltiorem aliquam excitationem, aut motionem præter concursum Dei immediatum, & actualem, quod sanè concursus non mouetur nec excitatur propriè. Quod si quis tamen velit dicere, quod per illum concursum moueantur aut excitentur, cum illo non erit nisi quæstio de nomine, & eo concessio nihil sequitur contra nos ad beneficium aduersariorum. Causæ verò liberæ debent etiam moueri & excitari à Deo, non tamen per qualitatem aduersariorum, sed per propositionem obiecti tali vel tali modo: nam obiectum sic propositum excitat & mouet illas, & ipsamet voluntas per vnum actum suum mouetur & excitatur ad alios actus, quos non eliceret sæpè, nisi haberet priores actus: loquor autem semper de actibus naturalibus.

84 *Ad confirmationem respondeo* relinquendo exactiorem solutionem pro Theologia, in illis locis Patrum, & Conciliorum non fieri mentionem nisi de motione, excitatione, & auxilio particulariter requisito ad opera bona, conducentia ad vitam æternam, de quibus operibus modò non agimus, neque de auxiliis ad ea requisitis, sed de operibus naturalis ordinis præcisè, ad quæ opera in multis ex illis locis significatur esse potentia naturalis in causis liberis & naturalibus, absque motione, & excitatione aliqua particulari; unde illa loca potius confirmant quam infirmant nostram conclusionem.

85 *Respondeo secundò*, distinguendo antecedens: nisi moueat ipsas per qualitatem illam, quam asserunt aduersarij, nego

nego antecedens: nisi prius moueat ipsas per applicationem obiecti aut passi, & per communicationem cognitionis talis aut talis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Cæteræ obiectiones solutæ sunt quæstione præcedenti.

QVÆSTIO VII.

In quo consistit concursus, quo concurrat Deus cum causis secundis?

86 **S**atis communis sententia est eandem omnino actionem, qua causa secunda producit suum effectum, esse illam ipsam, qua Deus cum illa eum producit: & iuxta hoc dicendum videtur, quod concursus Dei non sit aliud quàm actio creaturæ, quatenus egreditur immediatè à Deo, quemadmodum egreditur immediatè à creatura, verbi gratia igne, aut aqua, aut voluntate. Ita Suarez disp. 2.2. Met. sec. 3. num. 2. Hurtadus disp. 10. §. 50. qui hanc sententiam omnibus, lesuitis tribuit.

Secundæ sententiæ est concursus Dei esse actionem distinctam à concursu seu actione creaturæ. Hanc proponit Hurtadus §. 41. sed neminem pro ea citat, sed videtur insinuare eam satis probabilem, & eatenus tantum sibi displicere, quia absque virgulti fundamento est contra communiorē.

CONCLUSIO.

87 **C**onkursus Dei non est actio creaturæ, sed alia concomitans actio. Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam, eamque plurimi Scotistæ in suis manuscriptis amplectuntur.

Probat, quia volitio Dei sine dubio distinguitur ab actione creaturæ, siue illa actio subiectetur in passio, siue in agente: sed volitio Dei est concursus ipsius cum creatura: ergo concursus ipsius cum creatura non est actio creaturæ, sed alia concomitans.

Probat minor, quia quoties Deus concurrat, habet volitionem concurrenti, & nihil impedit quominus per illam volitionem actualiter concurrat; ergo volitio Dei debet dici esse concursus ipsius.

Confirmatur: quia ex dictis in Logica, disputatione de actione, actio qua Deus se solo producit aliquem effectum, est volitio ipsius: ergo & actio, quia concurrat cum creatura: eadem enim proflus est ratio.

Probat secundò: quando duæ causæ creatæ partiales subordinatæ producant aliquem effectum verbi gratia intellectus & obiectum intellectum, non eadem actione concurrunt, sed diuersa: ergo idem dicendum, quando Deus & creatura concurrunt, si non possit assignari aliqua disparitas particularis, qualem non facile ostendunt aduersarij. Probat antecedens, quia ut suppono ex dictis in Logica de actione, actio subiectatur in agente, sed vnicuique indiuisibilis actio non potest subiectari naturaliter in duobus agentibus realiter distinctis: ergo quodlibet ex diuersis agentibus habet suam propriam actionem, qua concurrat: & hinc sequitur falsum esse quod dicit Hurtado, eandem actionem posse immediatè egredi à diuersis causis subordinatis.

88 **O**biicies primò. Actio creaturæ dependet à Deo, cum sit quid creatum, sed non dependet ab ipso per aliam actionem, quia ad actionem non datur actio, ut communiter supponitur: ergo immediatè egreditur à Deo, & consequenter est actio Dei: sed etiam est actio creaturæ, ut supponitur: ergo eadem est actio Dei & creaturæ: hoc autem supposito non requiritur vlla alia actio ex parte Dei; cur enim illa sola, quæ ipsius est, non sufficeret ipsi?

Responderi posset primò negando minorem, quam resolutionem putat probabilem Arriaga n. 25.

Sed contra: quia si actio creaturæ dependeret ab actione Dei ad ipsam immediatè terminatam: sequeretur necessariò ad positionem istius actionis Dei: sed hoc est absurdum, ergo: probatur minor, quia tolleretur libertas creaturæ, tollitur enim libertas creaturæ, quando ex suppositione alicuius antecedentis necessariò sequitur actio illa creaturæ quæ dicitur libera, si illud antecedens non sit in potestate voluntatis: sed actio Dei, quæ terminaretur ad actio-

nem causæ secundæ liberam est antecedens ad illam, & non est in potestate voluntatis, eaque posita, necessariò sequitur actio illa libera: ergo tolleretur libertatem.

89 **R**esponderetur ergo aliter, distinguendo consequens: egreditur ab ipso tanquam actio ipsius aut absque eo quod ipse habeat aliam concomitantem actionem, nego: egreditur ab ipso, quatenus non egrederetur à creatura, nisi Deus aliam concomitantem actionem haberet, concedo consequentiam. Itaque quemadmodum in causis creatis partialibus ac subordinatis actio partialis vnius dependet ab alia, quia non posset egredi, nisi alia actio partialis egredietur ab altera, licet neutra producat actionem alterius per aliam actionem, & licet neutrius actio procedat ab altera tanquam ipsius actio; sed dicitur procedere cum dependentia ab illa altera, quatenus non egrederetur à suo subiecto, nisi alia actio egrederetur ab alia causa propter essentialē subordinationem: ita planè in proposito dicendum est.

Dices cum Hurtado num. 51. non sufficere hanc dependentiam tanquam à concomitante: quia talem dependentiam habet concursus Dei à concursu causæ secundæ, & tamen non propterea potest dici, quod concursus Dei dependeat à causa secunda: ergo quamuis concursus creaturæ diceretur dependere à concursu Dei, tamen non propterea deberet dici, quod concursus ille dependeret à Deo ex illo capite præcisè.

Respondetur negando illam dependentiam non sufficere, ad cuius probationem, dico etiam concursus Dei dependere à causa secunda, cum qua vult cōcurrere: si enim dependet à concursu causæ secundæ, ut fatetur Hurtado, cur non dependeret à causa secunda, à qua ille concursus dependet? Verum quidem est quod concursus causæ primæ non depēdeat à causa secunda, neque à concursu eius, tanquam à principio à quo emanat, sed tanquam à cōditione sine qua non esset: & eodem modo cōcurrus causæ secundæ non dependet à Deo, tanquam à principio, à quo immediatè emanat; sed tanquam à principio remoto, quod scilicet est causa principij proximi, à quo emanat, & tanquam ab aliquo à quo dependet alter concursus, sine quo non posset esse.

90 **D**ices secundò, omnis creatura dependet à Deo immediatè ex dictis quæstione præcedenti: sed concursus causæ secundæ est creatura: ergo dependet à Deo immediatè, & non sufficit dependentia mediata.

Respondetur distinguendo maiorem: omnis creatura, quæ producitur per actionem effectiuam veram, & realem, transeat; quæ non sic producitur, sed vel emanat, ut emanant relationes intrinsecus aduenientes, vel est ipsa met actio causa effectiuæ, negatur: sufficit enim ut huiusmodi relationes, & actiones dependant sic ab eo, ut possit ipsas pro quocunque instanti, aut producere aut destruere: sic autem potest facere absque dependentia, immediata, quæ præteritur in replica, quia relationes potest destruere destruendo earum fundamenta aut terminos aut rationem fundandi: actiones verò aut subtrahendo concursum suum, aut destruendo causam effectiuam, aut ponendo alia impedimenta aliqua.

Dices 3. Sequeretur mutua causalitas inter concursu Dei, & creaturæ, quia alter ab altero mutuo dependeret.

Respondetur negando sequelam, & distinguendo eius probationem: tanquam à priori, nego: tanquam à concomitantibus, concedo: sed inde non sequitur mutua causalitas, quia causalitas solum reperitur in illo, quod est prius natura.

91 **D**ices quartò, Sequeretur Deum in productione talis creaturæ æque dependere à causa secunda, ac causa secunda ab ipso, & consequenter non magis dependere à Deo creaturam, quàm hanc ab ipsa in illa productione: sed hoc est absurdum, ergo. Probat sequelam, quia idè creatura depēdet ac subordinatur in illa actione, quia actio ipsius, seu concursus non potest esse absque concursu Dei, sed idem est de concursu Dei: ergo.

Respondetur negando sequelam, quia creatura dependet à Deo & secundum concursum & secundum entitatem suam propriam, Deus verò solum dependet à creatura, quantum ad concursum.

Rursus Deus non ita dependet à creatura quoad illam productionem, ut in manu creaturæ sit quod ponatur vel non ponatur; sed creatura, præsertim naturaliter agens, ita dependet à Deo quoad illam productionem, ut in manu Dei, sit posita quacumque prævia applicatione, quod creatura habeat vel non habeat suam actionem.

92 *Obiicies secundo:* Volitio quæcumque, quam Deus habet circa creaturas, est ab æterno, ergo si esset actio ipsius aut concursus actualis, quo procedit creaturas aut concurrat ad earum productionem, creaturæ producerentur ab æterno.

*Probat*ur consequentia; quia nec actio nec concursus actualis potest esse absque termino suo: ergo si volitio, quæ est ab æterno, sit concursus actualis, aut actio qua producitur creatura, creatura producta esset ab æterno.

Respondetur primo, aduersariis etiam soluendam hanc difficultatem; quia ratio cur Deus actualiter habet in tempore unam actionem potius quam aliam, est quia habet volitionem talis actionis potius, quam alterius: ergo quandoquidem volitio sit ab æterno, actio quæcumque, quæ sequitur ad ipsam, debet esse ab æterno; quod si volitio possit esse ab æterno, & actio sequens ad ipsam in tempore & non ab æterno, similiter quamuis ipsamet volitio esset actio, posset esse ab æterno, quamuis terminus per ipsam producendus, non esset ab æterno.

Respondetur secundo directè negando sequelam, quia licet sit ab æterno, tamen non determinat Deum ad producendum nisi pro tali tempore; est enim volitio producendi rem pro tali tempore. Ad probationem consequentiæ respondeo distinguendo antecedens, si non determinetur actio ad certum tempus ex natura sua intrinseca, concedo: si sic, nego.

93 *Dicitur* si sit actio ligata ex natura sua ad aliquod tempus, non potest existere ante illud tempus; aliàs potuissent dicere, quod actio qua ignis producit hodie alium ignem, existeret heri, quando illam non produxit: ergo volitio Dei non potest existere sine termino producto, si sit actio qua producitur.

Respondetur distinguendo antecedens: si sit quid limitatum, & solum habeat rationem actionis, concedo: si sit illimitatum, & non habeat solum rationem actionis: nego antecedens cum sua probatione; quia actio ignis est quid limitatum, & solum habet pro munere causam producentem effectum. Volitio autem Dei est quid illimitatum, cum identificetur ipsi Deo, & non solum habet facere ipsum producentem effectum, sed etiam facere ipsum volentem producere; unde quia ipse debet esse volens producere ab æterno, debet esse volitio illa in ipso ab æterno.

Dices iterum: si actio sit ab æterno, debet tribuere suum effectum formalem ab æterno: sed effectus formalis ipsius est facere causam agentem seu concurrentem actu: ergo debet hoc præstare Deo ab æterno; sed non præstat: neque enim verum est dicere quod Deus agat aut concurrat ab æterno.

Respondetur distinguendo maiorem: si sit ab æterno sub ratione formali actionis, concedo: si non sit sub tali ratione, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam, quia sufficit ut id ipsi præstet in tempore, quando habet rationem actionis. Itaque ipsamet volitio Dei, quæ est actio ipsius, non habet rationem formalem actionis, nisi pro illo tempore, pro quo determinat Deum ad producendum effectum; non autem determinat nisi pro illo tempore, quo producitur effectus. Et si queratur quare non determinat, ratio est quia est volitio determinatiua pro tali tempore.

94 *Obiicies tertio.* Volitio Dei habet pro obiecto concursus seu productionem, qua Deus producit effectum: ergo non est ille concursus aut actio; neque enim potest esse obiectum sui ipsius. Probatur antecedens, quia Deus habet hunc actum voluntatis seu hanc volitionem: volo concurrere cum causa secunda ad productionem effectus: seu volo producere effectum: sed huius actus seu volitionis obiectum est ipse concursus seu actio: ergo.

Respondetur, loquendo de volitione Dei, in qua constitui-mus rationem actionis seu concursus, negando antecedens

(quidquid sit de aliis volitionibus reflexis) ad cuius probationem dico quod licet nos explicemus actum voluntatis Diuinæ, quo producit effectum, per hæc verba, volo producere effectum; & hoc modo loquendo significetur, quod reuera volitio illa tendat in productionem, tanquam in obiectum; reuera tamen à parte rei actus ille formaliter non habet productionem pro obiecto, sed est ipsi ipsamet productio, & habet pro obiecto aut potius termino ipsam rem quæ producitur: & verus sensus est formalis, nempe volo te producere, id est per volitionem te produco: sicut quando dicimus: volo te amare, sensus sæpè saltem, est: quod per volitionem talem te amo, amor enim est quædam volitio, quæ terminatur ad rem amaram. Quod si aliquis velit in Deo distinguere & volitionem qua producit, & volitionem qua vult producere, dicere poterit eandem volitionem Diuinam esse virtualiter reflexam, & eam propterea posse considerari, ut per eam res producitur, & ut per eam Deus vult rem producere. Si consideretur autem primo modo, habet rationem actionis, & non habet actionem pro obiecto, sicut nec habet seipsam; si verò consideretur secundo modo, non habet rationem actionis & propterea potest habere actionem pro obiecto.

Vrgeri posset hic difficultas illa maxima, quid dicat volitio libera Dei, qua vult producere effectum supra volitionem necessariam ipsius: sed differenda est solutio ad Theologiam.

QVÆSTIO VIII.

Qualis sit concursus, quo concurrat Deus cum causis secundis.

95 *Concursus Dei cum causis secundis* altero ex duobus modis se habere potest; primo ita ut sit taliter indeterminatus & indifferens respectu effectus producendi, ut mediante eodem concursu possit non solum ille effectus, qui producitur, sed quicumque alius produci, si alia causa applicarentur, sic scilicet, ut mediante eodem concursu, quo Deus producit cum igne ignem, posset aqua producere frigus, & eodem concursu, quo mediante voluntas amat obiectum, posset illud obiectum odio prosequi. Hæc sententia videtur esse *Sharij*, & *Iesuitarum* communis. Alio modo potest se habere sic, ut sit tam determinatus ex natura sua ad effectum, qui producitur, ut nullus alius effectus, nec numero, nec specie distinctus, qui tum non producitur, possit per illum produci, hæc est *Doctoris in 1. d. 39. c. 4. 1.* quem præter suos plurimi Thomistæ sequuntur. Querimus ergo hic, quo ex his modis se habeat concursus diuinus.

CONCLUSIO.

96 *Concursus diuinus est omnino physicè determinatus* ad effectum, qui producitur, in specie ac individuo, sic ut per eundem, quo producitur amor, non possit produci odium, nec eodem quo producitur Petrus, possit produci Paulus: loquor autem de concursu, prout formaliter habet rationem concursus. Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

Probari solet à *Scotistis*; quia aliàs Deus non cognosceret, quinam effectus essent absolute futuri: sed hoc est falsum, & contra fidem: ergo. Probatur sequela, quia carens potest cognoscere, quænam sunt absolute futura, quatenus cognoscit determinationem voluntatis suæ: sed si illa determinatio non sit absoluta, non potest cognoscere ea mediante, quod absolute sint futura: si sit determinata habetur intentum.

Hæc probatio difficilis mihi videtur, quia posset aliquis dicere quod Deus posset cognoscere quid creatura esset factura supposita determinatione sua, & concursu indifferenti ex plenitudine suæ infinitæ scientiæ; quod quidem de causis naturalibus applicatis bene, non habet difficultatem, quia ex natura sua sunt determinatæ ad agendum hoc vel illo modo, supposito concursu Dei sufficienti, qualis esset secundum aduersarios indeterminatus ille ac indifferens. De causis verò liberis

suaderi posset: quia quamvis non obstante concursu indifferenti, possent oppositum effectum: tamen difficile est ostendere cur Deus non cognosceret quid essent facturæ ex pluribus quæ possent facere; sed de hoc fusius in Theologia.

Facilius
probat

97 *Probat*ur conclusio aliter, primò quidem ex suppositione sententiæ probatæ quæstione præcedenti: concursus Dei est volitio, quæ vult cum hac causa producere realem effectum: sed per illam volitionem non posset alius effectus produci: ergo concursus Dei non est indeterminatus, sed determinatissimus.

Probatur minor, quia sequeretur, quod esset & non esset illa volitio; esset quidem ex hypothesi; non esset autem, quia esset volitio producendi alium effectum: volitio autem producendi vnum effectum distinguitur formaliter aut ratione à volitione producendi alium, quando præsertim effectus non habent necessariam connexionem, aut quando ad productionem vnius non producit alius necessarius.

*Probat*ur secundò aliter, independenter ab hac sententia, quia concursus Dei secundum adversarios communiter, est identificatus concursui creaturæ, eadem enim actione secundum ipsos Deus & creatura producunt effectum, sed certum est actionem creaturæ, quæ producit hunc effectum, esse ita determinatam ad illum effectum, ut non possit per eam alius effectus, qui tum non produci, tum produci: ergo idem dicendum est de concursu Dei ipsi identificato: quæ quidem probatio mihi convincit conclusionem supposita illa identificatione. Quod si etiã actio Dei esset aliqua particularis actio distincta ab actione creaturæ, & à termino, omnino necessarium esset, quod pro distinctione terminorum distinguerentur, quia determinatio actualis causæ ad effectum producendum nequit esse, quin causa determinetur per ipsum, præsertim si determinatio non sit infinita ac illimitata: ergo si determinatio, quæ Deus determinatur de nouo ad producendum amorem, esset etiam determinatio, quæ determinaretur ad producendum odium, sequeretur quod quoties produceret odium, produceret etiam amorem, quod est absurdum: ergo signum est, quod pro variatione terminorum debent variari determinationes, tum quia effectus non magis dependet à causa secunda, quam à prima: ergo sicut non potest egredi à causa secunda per concursum, indeterminatum, sed per determinatum ac sibi soli correspondentem, nequit etiam per talem egredi à causa prima.

98 *Obijci*es. Sequeretur, quod effectus deberet necessario poni; & consequenter tolleretur libertas. Probatur sequela: quia quidquid Deus determinat absolute futurum esse, ex ista hypothesi debet necessario fieri, quia alias non determinaret futuritionem eius absolute, aut saltem determinatio absoluta Dei posset impediri, quod implicat.

*Respond*eo distinguendo sequelam, necessitate consequenti, aut concomitanti, transcat: necessitate antecedenti, negatur: nec id probatur per probationem sequelæ. Ut hoc intelligatur, advertendum tum tolli libertatem causæ in ordine ad effectum, quando ex suppositione alicuius antecedentis determinationem istius causæ, non potest non ponere effectum, sed ipsum necessario ponit: cuius ratio est, quia potentia libera est illa, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum non necessario agit: ergo si ponatur hypothesi alicuius antecedentis determinationem actualem voluntatis; seu si supponatur esse in verum naturæ aliquid antecedens illam determinationem, quo posito causa nequit non agere, non erit verum de causa dicere, quod positis omnibus præhabitis ad actionem possit agere, & non agere, & consequenter tollitur libertas eius, quæ in illo posse consistit: necessitas ergo agendi orta ex huiusmodi re antecedenti actionem, quæ vocatur necessitas antecedens, tollit omnino libertatem. Alia potest esse necessitas agendi ex suppositione alicuius consequentis actionem causæ, aut concomitantis ipsam, & hæc vocatur necessitas consequens, aut concomitans, aut secundum quid, nec tollit

libertatem causæ; quia non obstante, quod supponatur tale quid, adhuc verum erit dicere de causa quod positis omnibus præhabitis ad actionem, possit habere actionem, vel eam non habere, quod sufficit ad hoc ut libere dicatur habere talem actionem.

99 *Dices*: volitio Divina, & decretum absolutum, quo decernit futuritionem effectus, antecedit determinationem voluntatis creatæ, ergo si eo posito non potest non poni effectus, tollitur libertas, quia infertur necessitas agendi, etiam ex suppositione antecedenti.

*Respond*eo distinguendo antecedens: antecedit illam determinationem voluntatis creatæ per se & ex indigētia causæ secundæ, aut effectus ab ea producendi sic, ut antecessio illa habeat aliquem influxum in causam secundam magis, quam si non antecederet, sed concomitaretur, nego antecedens: per accidens, & ex conditione Dei, quæ non potest habere decreta nova, sed necessario habet ab æterno, quidquid habet in tempore, concedo antecedens, & nego consequentiam ac distinguo eius probationem: infertur necessitas ex suppositione antecedenti, quatenus antecedens est, nego; quatenus non est antecedens, sed concomitans, concedo, sed nihil inde infertur contra conclusionem.

Quod autem æternitas decreti Divini, aut volitionis concurrendi non faciat ad determinationem voluntatis creatæ, patet; quia nihil potest conducere ad determinandam aliquam causam, nisi quatenus existit pro illo instanti, pro quo causa determinatur: ergo decretum aut volitio Divina non habent aliquam vim influendi aut determinandi voluntatem creatam; quatenus sunt ab æterno, sed quatenus sunt coexistentia volutati pro illo instanti, quo operatur; nec ut sic etiam possunt habere ullam prioritatem naturæ, & consequenter debent esse vel concomitantia vel sequentia, atque adeo suppositio eorum non est suppositio antecedens determinationem voluntatis; Itaque suppositio antecedens, seu suppositio alicuius antecedentis determinationem voluntatis, & tollens libertatem, debet esse suppositio alicuius, quod, quatenus antecedit, habet virtutem necessario tractuam voluntatis: talem autem non habet decretum Divinum, quantumvis efficax, nec concursus quicumque Divinus, quo cum voluntate concurrat, quia quidquid habere potest virtutem determinatiivam voluntatis, vel debet illam habere quatenus est aliquid quod habet rationem actus primi, vel ratione actus secundi: sed neutro modo ex his potest decretum Divinum, aut concursus eius determinare voluntatem necessario ad actum per modum antecedentis, ergo. Probatur minor: non per modum actus primi, quia quod sic determinat voluntatem: aut debet proponi ipsi per intellectum, aut debet habere aliquam actionem antecedentem actionem voluntatis, per quam actionem produceretur aut actus voluntatis, aut actio voluntatis; neque enim concipi potest, quæ alia ratione posset determinari voluntas sed non est necessarium, ut decretum Divinum proponatur ipsi, ut patet experientia; nec decretum Divinum habet ante actionem voluntatis aliam actionem in ipsâ voluntatem, quæ producit actus voluntatis, quia alias ante actionem voluntatis produceretur actus voluntatis; & sic non dependeret actus voluntatis effectivus à voluntate, contra omnes, nec habet etiam actionem, quæ produceretur actio voluntatis, quia secundum adversarios præsertim non datur actio actionis; & quia gratissime poneretur talis actio; & quia vel illa actio se sola produceret illam actionem voluntatis, & sic non esset actio voluntatis; vel simul cum voluntate, & sic non determinaret voluntatem taliter, quin voluntas posset abstinere à suo concursu, atque adeo non sequeretur, necessario illa actio. Non etiam per modum actus secundi, quia aut esset actio totalis actus voluntatis, aut partialis, si totalis, ergo actus non produceretur à voluntate: si partialis, ergo deberet simul natura adesse actio voluntatis, & sic non determinaretur voluntas determinatione antecedenti.

100 *Dices*: si decretum Divinum non haberet aliquam vim determinatiivam voluntatis per modum antecedentis, non deberet esse necessarium, quod ex suppositione quod

Quomodo
concursus
Dei antecedit
actionem creaturæ.

antecederet decretum Diuinum, deberet sequi determinationem voluntatis creatæ: sed hoc est falsum: ergo.

Respondeo distinguendo sequelam maioris: ex suppositione quod antecederet præcisè, nisi etiam ex ista hypothese sequeretur, quod concomitaretur concursus voluntatis creatæ, concedo maiorem: ex suppositione præcessionis, quatenus cum illa coniungitur, quod debeat concomitari concursus voluntatis, nego maiorem, & minorem.

Dices secundo: Sufficit ad tollendam libertatem, quod supponatur aliquid antecedens, cum quo coniungitur aliquid, quo posito necessario ponitur effectus, siue illud antecedens secundum se determinet voluntatem, siue nõ: sed ex dictis, ex suppositione decreti æterni, debet necessario esse concomitantia concursus Diuini cum voluntate, & consequenter debet etiam necessario esse concursus ipsius voluntatis creatæ, quia concursus diuinus non potest esse sine concursu creato: & his suppositis necessario ponitur effectus.

Respondeo negando maiorem, quando illud, quod necessario coniungitur cum antecedenti, non est antecedens determinationem voluntatis. Ad quod etiam intelligendum aduertendum est, quod illud quod ex natura sua non necessitat voluntatem, sed solum ex ratione alterius coniuncti, non potest necessitare, nisi illud coniunctum necessitet: unde cum decretum Diuinum non determinet secundum se, sed quatenus consequitur ipsum concursus, aut quatenus habet rationem concursus, non necessitat nisi concursus necessitet: concursus autem non determinat voluntatem, quandoquidem non sit antecedens, sed concomitans: ergo nec decretum aut secundum se, aut secundum aliquid concomitans necessitat voluntatem, nisi ex suppositione consequenti aut concomitanti.

101 Obiicies secundo: Deus potest ita determinare futuritionem effectus, ut voluntas non possit impedire, quominus effectus sit futurus, sed omnino necessitetur ad illum: sed non potest id facere magis, quam per decretum ac concursum absolutum: ergo posito illo decreto necessitatur voluntas, nec potest non ponere effectum.

Respondeo distinguendo minorem: per decretum absolutum, quo determinaret futuritionem effectus, prout determinat de facto, nego minorem: per aliud decretum: quo ita determinaret absolute, ut voluntas non libere, sed necessario concurreret, concedo minorem, & nego consequentiam: seu potius distingo consequens: per decretum, quod habet de facto, nego: per aliud decretum distinctæ rationis, transeat. Itaque si vellet Deus decernere futuritionem amoris absque dependentia à voluntate in genere causæ efficientis, sine dubio amor ille non produceretur libere à voluntate; nec video cur Deus id decernere non posset præsertim in nostra, & meliori sententia tenente, quod Deus se solo possit producere actus vitales. Si autem Deus decerneret futuritionem amoris cum dependentia à concursu voluntatis absque eo, quod proponeretur voluntati aliquid ipsam intentionaliter determinans, aut aliquid physicum, ex quo necessario sequeretur actio voluntatis, difficile est quomodo posset etiam Deus facere ut necessitaretur voluntas.

102 Obiicies tertio. Si non necessitaretur voluntas per decretum absolutum ac concursum determinatum, eo non obstante posset oppositum facere, sed hoc est falsum: ergo. Probat minor, quia sic posset frustrari decretum diuinum, & consequenter posset falli scientia diuina, quæ infallibiliter cognoscit futurum esse, quod per tale decretum decernitur, quod est absurdissimum.

Confirmatur: quia non potest quis imaginari quomodo possit falli aut frustrari decretum diuinum magis quam per hoc, quod eo non obstante in sensu composito possit poni oppositus effectus, seu non poni effectus, seu decretum.

Confirmatur secundo, quia voluntas non potest facere oppositum effectum absque concursu diuino, ac decreto de illo effectus: sed supposito decreto absoluto de amore, verbi gratia ac concursu ad ipsum, non adest decretum nec concursus de odio, aut de omissione amoris: ergo vo-

luntas nequit producere odium aut omissionem amoris, & consequenter necessitatur ad amorem.

Probat minor, quia decretum ac concursus actualis ad odium aut omissionem amoris infert alterutrum, ergo cum non sit futurum odium, aut ommissio amoris, non est decretum de illis.

Deinde, ex suppositione quod voluntas creata determinat se ad vnum, non habet ullam determinationem, nec potest habere in sensu composito ad aliud oppositum, & incompatible: ergo idem dicendum est de voluntate diuina, quia eadem est ratio quantum ad hoc de utraque voluntate.

103 Respondetur distinguendo maiorem: in sensu composito, nego maiorem: in sensu diuiso, & absolute ac simpliciter, concedo maiorem, & nego minorem cum sua probatione. Ad hoc enim ut posset voluntas frustrare decretum diuinum, aut efficere fallibilem scientiam diuinam, non sufficit quod absolute, & simpliciter posset ponere oppositum effectum in sensu diuiso, hoc est, ex suppositione, quod non esset tale decretum aut concursus; sed ulterius requiritur, quod in sensu composito, hoc est, ex suppositione decreti, ac concursus posset oppositum ponere: negandum autem est, quod dici possit voluntas creata facere magis, quam potest facere, ut si quis sedeat, possit in sensu composito stare.

Dices: si in sensu composito decreti non possit oppositum: ergo quandoquidem ille sensus compositus de facto sit, de facto nequit oppositum, atque adeo de facto necessitatur.

Respondeo, distinguendo consequens pro prima parte: de facto, id est, ex suppositione omnium, quæ de facto supponenda sunt, includendo concursum ipsiusmet voluntatis, concedo consequentiam; non includendo illum concursum, nego consequentiam pro prima parte; & absolute, nego illam pro secunda parte: quia ut necessitaretur voluntas, non sufficit, quod non possit oppositum quomodocunque; sed requiritur, ut non possit oppositum ex suppositione alicuius antecedentis determinationem suam, quod antecedens ex vi sua, aut ex vi alterius concomitantis, aut sequentis, quod etiam antecedit determinationem voluntatis, trahit illam determinationem necessario.

104 Ad primam confirmationem, concedo totum, sed nego, quod in sensu composito decreti & concomitantium decretum possit voluntas oppositum ponere. Verum quidem est quod alij fateantur, non obstante decreto voluntatem posse etiam in sensu composito ponere oppositum, licet non sit positura oppositum: & quia licet possit ponere oppositum, infallibiliter tamen non est positura oppositum, propterea existimant, eo non obstante, decretum ac scientiam esse infallibilia. Imò addunt quod, si voluntas non posset, propositum, decretum, & scientia fallerentur, quia decretum & scientia sunt de effectu futuro libere à voluntate: non esset autem sic futurus, nisi proveniret à voluntate tali modo, ut posset voluntas oppositum ponere si vellet.

Sed quamvis non dubitem quin voluntas absolute, & simpliciter producat effectum sic, ut posset oppositum ponere, & non requiritur ad hoc ut decretum diuinum, & scientia sint talia, qualia sunt de facto, tamen non credo debere voluntatem posse oppositum in sensu composito decreti, quia hic sensus inuoluit ipsam determinationem voluntatis vel actualem, vel futuram; & certum est quod in sensu composito determinationis suæ ad amorem non possit non habere amorem.

Dices: si decretum inuoluit determinationem voluntatis, ergo trahit illam necessario: vel si non trahit: ergo non obstante decreto, in sensu composito eius, potest voluntas non habere determinationem illam.

Respondeo distinguendo sequelam, si inuoluit ipsam, ita ut ipsum decretum sit prius quam concursus, aut actualis, aut futurus, concedo sequelam; itavt sit concomitans, nego sequelam. Itaque decretum inuoluit determinationem voluntatis, non quasi ipsamet determinaret voluntatem ad illam, sed quia non esset decretum;

decretum, nisi esset illa determinatio voluntatis, vel actus, vel futura, liberrimè egrediens à voluntate.

105 *Ad secundam confirmationem respondeo* negando maiorem: ad hoc enim ut possit oppositum effectum absolute, & simpliciter, non requiritur, quod sit actualis concursus aut actualis decretum ad oppositum, sicut non requiritur, quod sit suus proprius concursus; sed sufficit, quod possit habere concursum ad oppositum, & quod possit esse decretum de opposito; siue sit de facto, siue non.

Dices: Sed neque potest esse decretum de odio ex suppositione decreti de amore in sensu composito: ergo ex ista hypothese in sensu composito nequit voluntas odium habere.

Respondeo concedendo totum, cuius ratio patet ex dictis. Hæc omnia valde difficilia sunt pro captu Tyrorum, qui propterea non debent adicere animum, si non tam facile possint illa percipere, persuadentes sibi quod successu temporis faciliora reddentur.

106 *Obijcies quarto*, Deus concurret cum causis secundis iuxta eorum naturam: ergo alio modo concurret cum causis naturalibus, quam cum liberis: sed cum naturalibus concurret concursu determinato; ergo cum liberis concurret concursu indeterminato.

Respondeo distinguendo antecedens: iuxta naturam suam, id est, tali concursu, qui sufficit ut ipsæ agant iuxta suas naturas, concedo: id est, dat ipsis concursum, qui sit absolutus ac determinatus, si causa secunda sit determinata in actu primo; qui sit indeterminatus, si causa secunda sit indeterminata in actu primo, nego antecedens. Quemadmodum enim actio causæ secundæ cuiuscunque siue liberæ siue naturalis est semper determinata ad effectum, nec in hoc est differentia inter actionem causæ naturalis, & causæ liberæ: ita etiam concursus actualis exhibendus utrique causæ debet esse determinatus absque ulla disparitate.

Confirmatur: quia concursus Dei cum utraque causa est liber ut patet, quamvis ex causis una sit libera & altera naturalis: ergo similiter concursus eius cum utraque causa potest esse determinatus, quamvis una ex causis sit naturalis, & altera libera.

CONCLUSIO II.

107 *Pater hunc concursum efficacem, & absolutum non requiritur alius concursus indeterminatus & inefficax ad oppositum; vel ad alium effectum.* Est contra quosdam, qui ad salvandam libertatem causæ liberæ exigunt huiusmodi decretum efficacem.

Probat tamen: quia ut salvetur libertas sufficit, quod voluntas habeat in actu primo totum, quod requiritur, ut possit agere vel non agere, & non requiritur aliquid pertinens ad actum secundum: ergo nullus concursus actualis Dei requiritur ad salvandam libertatem.

Confirmatur primo, concursus Dei actualis est simul cum actione voluntatis secundum adversarios: sed voluntas ante actionem intelligitur, & est potens producere talem effectum: ergo & ante concursum Dei.

Confirmatur secundo: ante concursum absolutum est potens absolute habere talem concursum: ergo ante concursum indifferenter, seu inefficacem est potens inefficaciter ponere effectum talis concursus.

Confirmatur tertio concursus absolutus non ponitur, ut possit agere, sed ut agat efficaciter: ergo concursus inefficax non est necessarius, nec debet poni, ut possit inefficaciter, sed ut agat inefficaciter; si tamen villo modo ponatur, quod additur, quia fortè de facto non datur, quia esset superfluum; imò forte est impossibilis, quia omnis actio, quæ ponitur debet habere aliquem terminum positum per ipsam, & consequenter omnis concursus actualis; sed nullus terminus aut ponitur, aut ponetur per illum concursum indifferenter & inefficacem: ergo omnino nequit dari.

Dices, per omnem concursum efficacem poni necessarium aliquid, non verò per concursum inefficacem.

Contra, quia implicat in terminis esse concursum actuale, per quem non ponitur, aut ponetur aliquid actualiter & consequenter qui sit inefficax, quia eatenus dicitur

actualis, quatenus causa aliquid actualiter ponit vel ponet per illum.

Confirmatur hoc: quia ille concursus, quo nihil ponitur, sed per quem tamen aliquid potest poni, non potest distinguì à concursu in actu primo: ergo non potest dici, quod sit concursus in actu secundo.

108 *Obijcies*: voluntas non potest facere oppositum ipsius, quod facit, nisi tum, cum facit illud, habeat concursum Dei paratum ad illud oppositum; sed ille concursus paratus ad oppositum est inefficax: ergo præter concursum, quo concurret Deus, ut faciat aliquid, debet dari alius concursus inefficax, quo possit oppositum facere.

Respondeo distinguendo maiorem: nisi habeat concursum Dei paratum in actu secundo, seu aliquem concursum, qui sit distinctus ab ipsamet voluntate Dei nego: nisi habeat concursum paratum in actu primo, id est, ipsamet voluntatem paratam dare ipsi concursum, licet non det, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem & consequentiam. Itaque, sicut ego possum esse paratus ad auxiliandum alicui, licet non dem ipsi vilius auxilium, ita etiam potest intelligi Deus paratus ad dandum concursum, licet non det vilius concursum.

109 *Obijcies secundo*: Deus de facto habet duas volitiones, vnam efficacem damnandi aliquem, & aliam inefficacem salvandi illum ipsum: ergo potest habere concursum efficacem ad aliquid, & alium inefficacem respectu oppositi ipsius simul & semel. Antecedens quoad primam partem est certum: quoad secundam verò probatur ex Scriptura, ubi dicitur, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, qui locus secundum communiorē & probabiliorē Patrum & Theologorum sententiam intelligitur de omnibus omnino hominibus tam damnandis, quam salvandis, licet Sanctus Augustinus & alii alij aliter exponant illum locum.

Respondeo, distinguendo antecedens: & aliam inefficacem salvandi illum, quæ immediate terminetur ad salutem per modum concursus, quo proxime posset acquirere salutem, nego; quæ immediate terminetur ad aliquod aliud, quod possit ipsi concurrere ad acquisitionem salutis, si veller ipse bene uti eo, concedo antecedens: similiter distinguo consequens, ita ut uterque terminetur immediate ad illos oppositos effectus, nego: ita ut uterque terminetur immediate ad effectus non oppositos simul & semel, concedo. Exactior huius rei discussio relinquenda est pro Theologia, sufficit modò advertere, quod licet posset dari huiusmodi volitio inefficax simul cum efficaci, non tamen est necessaria ad salvandam libertatem pro illo instanti, pro quo voluntas agit liberè.

QUESTIO IX.

A qua causa provenit determinatio effectus, quoad speciem & individuum.

110 *C*ertum est ex dictis hucusque, & Deum & causam secundam concursu suo immediate attingere effectus, qui ab ipsis produuntur; tum quoad rationes específicas, tum quoad individuales, atque adeo effectum quemcunque productum accipere ab utraque & speciem & individuationem. Sed quia, quando effectus procedit à pluribus causis subordinatis, solet accidere, & vni potius quam alteri attribui, quod effectus habeat talem vel talem rationem particularem: sicut contingit in intellectu, quæ licet procedat indivisibiliter ab intellectu & obiecto, quoad speciem & individuum, quod tamen sit talis particularis rationis, adscribitur obiecto, & non intellectui, quia intellectus, quantum est ex se, non magis perit producere intellectionem talis speciei, quam alterius; obiectum verò determinatur ad tales intellectiones, ita ut non possit concurrere ad alias quascunque, ad quas potest concurrere intellectus; quia inquam hoc accidit, ideo hic etiam queritur, cuinam per se formaliter attribuendum sit, Deonè, an creaturæ, verbi gratia, igni, quod applicato igne in debitis circumstantiis, producat ignis potius quam aqua; & hoc numero individuum

si 4 ignis

ignis potius, quam aliud indiuiduū ex infinitis similibus, quæ possent produci: Quæ difficultas non solum in causis naturalibus procedit, sed etiam in liberis; ut cum voluntas cum Deo producit volitionem alicuius obiecti, circa quod posset habere nolitionem, cuiusnam adscribendum sit, quod producat volitionem, & ex infinitis volitionibus, quas habere posset, cuiusnam adscribendum sit, quod hanc numero volitionem habeat potius quam aliam?

Ego quoad me attinet, fateor difficile esse in casu huius controuersie, nimirum quando Deus, & causa secunda concurrunt, attribuire specificationem aut indiuiduationem effectus (secludendo præsertim peccatum) potius vni, quam alteri; nam sicut non esset ignis productus quoad speciem, nisi adesset alius ignis aut alia causa secunda determinata ex se in illis circumstantiis ad producendum ignem: ita sane non esset productus, nisi Deus determinaret se ad productionem ignis; nec quod ignis sit determinatus ad talem speciem efficit, ut Deus determinetur ad productionem; quod si Deus esset agens naturale, tam determinaretur naturaliter in talibus circumstantiis ad producendum ignem, quam ipsemet ignis.

Confirmatur hoc, exemplo causarum naturalium subordinatarum, verbi gratia intellectus, & obiectum intellectus est ex se determinatus ad talem intellectum in talibus circumstantiis, quam obiectum: ergo non potest attribui obiecto potius quam intellectui quod in talibus circumstantiis producat talis intellectus. Nec refert quod intellectus sit causa magis vniuersalis, & quod posset producere ex se plures intellectiones diuersæ speciei: hoc enim non facit quin in talibus circumstantiis sit determinatus ad talem speciem, sicut ipsum obiectum, quod etiam in aliis circumstantiis non esset sic determinatum sed posset alios effectus producere. Itaque reuera confecto, si res bene examinatur, specificationem ac indiuiduationem absolute, & simpliciter non posse refundi in vnam tantum ex causis huiusmodi, sed in vtramque. Ex suppositione tamen communi, quod vni attribuenda sit, resolutionem questionem, ut (quod dicitur) cum multis loquar.

CONCLUSIO I.

Indiuiduationis effectus intra talem speciem refundenda est in causam primam.

Determinatio effectus quoad indiuiduationem intra talem speciem absolute in causam primam refundenda est. Hæc colligitur ex Scoto in 4. dist. 4. q. 1. & est *Suar. disp. 5. met. Hurr. disp. 10. Phys. 8. 4. Auerse quest. 16. sect. 3. contra Valsg. disp. 74. in 3. part. cap. 8. Fonseca quest. 16. cap. 2. qu. 14. Raco. sect. 3. quibus fauet ex Scottis Eber 1. disp. 54. num. 84.*

Probatur conclusio quoad effectus procedentes a causis naturalibus: quia illi causæ absolute illa conditio effectus attribuenda est, in cuius manu positum est in iisdem omnino circumstantiis intrinsicis & extrinsecis omnibus, præcedentibus concursum actuale, ponere illum, vel non ponere, etiam concurrentibus iisdem causis, ac velint nolint, nulla facta iis violentia, ut videtur euident; quia nihil aliud potest requiri ut conditio illa talis causæ attribuat potius, quam alteri: sed in manu Dei est, quando applicatur ignis, verbi gratia ad stupam, ut in iisdem omnino circumstantiis, etiam concurrente igne, æque connaturaliter, intra speciem ignis hoc indiuiduum ignis, aut illud aliud ex infinitis, quæ produci possent, producat: ergo illa indiuiduatione est illi attribuenda. Probatur minor: quia ignis in illis circumstantiis, licet sit ex se determinatus ad talem speciem connaturaliter loquendo; tamen non est magis determinatus ad hoc indiuiduum talis speciei, quam ad multa alia eiusdem omnino rationis, quæ possibilia sunt ab ipso produci: ergo æque connaturaliter in talibus circumstantiis posset alia indiuidua producere, ac illud, quod producit, si Deus concurreret: ergo in manu Dei positum est cum illa æque connaturaliter in iisdem circumstantiis omnibus producere quodcumque ex illis indiuiduis; & consequenter quod hoc indiuiduum producat, Deo attribuendum est.

Non possunt aduersarij, ut credo, tollere vim huius argumenti nisi dicendo quod inter indiuidua producenda

ab aliqua causa secunda, detur talis ordo, ut in talibus circumstantiis non possit nisi tale particulare indiuiduum produci. Sed hæc doctrina gratis excogitata est ad euadendam difficultatem: & præterea cum indiuidua sint omnino eiusdem rationis, absurdum videtur quod vnum diceret aliquem respectum ad alias circumstantias, ratione cuius in iis deberet produci potius, quam aliud, de quo plura inferius.

112 *Probatur conclusio* quoad effectus procedentes a causis liberis: quia voluntas verbi gratia neque est ex se determinata ad vnam volitionem intra hanc speciem potius quam ad aliam, neque potest se determinare: ergo debet determinari a causa prima, & consequenter determinatio ad tale indiuiduum debet adscribi causæ primæ.

Probatur minor quoad primam partem, tum quia voluntas quoad effectus, ad quos est ex se determinata, habet rationem causæ naturalis, & consequenter eodem modo discurrendum est de ipsa ac de causis naturalibus, quibus iam probatum est non posse attribui illam determinationem: tum quia cum volitiones sint eiusdem rationis, non potest concipi quomodo ex se potius ad vnam, quam ad ceteras esset determinata.

Probatur eadem minor quoad secundam partem: quia voluntas non potest semetipsam determinare ad vnum præ aliis, nisi proponatur ab intellectu ipsi vnum ut distinctum ab aliis: sed intellectus (saltem pro hoc statu, de quo loquimur) non cognoscit vnum indiuiduum vnus speciei, ut distinguitur ab alio indiuiduo eiusdem omnino rationis sine vlla differetia etiam accidentali (qualia sunt duæ volitiones, quas in iisdem circumstantiis æque connaturaliter habere potest voluntas) ergo non potest proponere voluntati vnum ex illis, ut distinguitur ab alio.

Confirmatur: eadem cognitio intellectus æque bene representat quodcumque indiuiduum eiusdem rationis: ergo non potius proponit vnum quam aliud quodcumque.

113 *Obijcies*: sequeretur Deum esse causam per se actus peccaminosi talis in indiuiduo, cui per se potius, quam causæ secundæ attribuendum sit quod producat: sed hoc est absurdum; ergo.

Respondetur breuiter, sed sufficienter, ad hoc propositum: quantum ad hoc quod potius hoc indiuiduum talis speciei producat, quam aliud, concedo maiorem; nec hoc est absurdum; nihil enim mali est in tali determinatione: & præterea, quia causa secunda, quæ vult talem speciem producere, nequit hoc facere, nisi causa prima determinet ad talem indiuiduationem, spectat ad ipsam tanquam ad causam vniuersalem illa determinatio: quantum ad hoc quod absolute, & simpliciter indiuiduum talis speciei potius, quam alterius producat, nego maiorem hoc enim esset inconueniens.

Obijcies secundo: causa secunda attingit illud ipsum indiuiduum, quod producit: ergo determinatur ad ipsum, & consequenter indiuiduatione effectus illi est adscribenda.

Respondet negando consequentiam, quia licet attingat, ideo tamen attingit, quia Deus vult potius ipsum produci, quam aliud, quæ tamen determinatio Dei non est antecedens determinationem causæ secundæ, sed concomitans.

CONCLUSIO II.

114 *Causa prima non determinat causam secundam naturalem ad speciem actus, ex suppositione applicationis & circumstantiarum, in quibus connaturaliter sequitur talis effectus in specie potius quam alius.* Hæc est actus. *Causa prima non determinat secundam ad speciem actus.*

Causa da t rest Deo plic fici sed

Causa da t rest Deo plic fici sed

Causa da t rest Deo plic fici sed

vnum, quàm aliam; determinatio ad speciem talem potius, quàm aliam, in causam primam refundenda esset, si- cut determinatio ad vnum individuum præ alio propter eandem rationem.

CONCLUSIO III.

Causa secunda naturalis non determinat Deum: simpliciter ad speciem talem, etiam ex suppositione cuiuscunque applicationis: sed bene determinat ipsum ex suppositione, quod velit concurrere modo connaturali. Hæc etiam debet esse communis: & probatur prima pars; quia Deus absolute & simpliciter, non obstante tali applicatione, posset non producere talem speciem; & forè etiam posset de potentia absoluta cum eadem causa producere alios effectus, etiam incompatibiles cum illa specie: ergo absolute & simpliciter non determinatur à causa secunda ad talem speciem; neque est in manu causæ secundæ, quod ponatur, aut non ponatur talis species.

Probatur secunda pars: quia ex suppositione, quod sic velit concurrere, necessario exigit causa illa secunda, quod concurrat ad talem speciem, alias effectus ille in specie non connaturaliter produceretur à causa secunda potius, quàm aliis contra hypothese: ergo determinat causa secunda ipsum hoc modo.

Dices, ipsemet Deus ex ista hypothese determinatur ex se: ergo nõ debet dici, quod determinetur à causa secunda.

Hæc replica mihi videtur optima, & est conformis ad dicta in initio quæstionis: sed supponendo tamen, quod vni causæ attribuenda est determinatio, dicendum, quod ex ista hypothese Deus necessariò determinetur quidem ex se ad talem speciem; sed ratio tamen positiua, quare habet illam volitionem, est, quia causa secunda exigit connaturaliter illam volitionem: vnde finaliter in causam secundam refundendum est, quod talis effectus in specie producat connaturaliter ex suppositione, quod in vltima vnam refundendum sit.

CONCLUSIO IV.

Deus non determinat causam secundam liberam ad speciem actus in illis circumstantiis, in quibus liberè producit talem speciem, sed potius causa secunda libera determinat ipsum sicut causa naturalis. Hæc est etiam communis, loquendo præsertim de actibus naturalis ordinis, & non conducentibus ad vitam æternam (de determinatione autem, quæ fit per gratiam actualem, agendum est in materia de auxiliis.)

Probatur prima pars: quia licet talis causa sit indifferens ad plures species, tamen habet ex se virtutem sufficientem determinandi se ad quameunque ex illis; sicut causa naturalis habet ex se esse determinata ad vnam speciem in talibus circumstantiis.

Confirmatur: quia aliàs determinaret tanquam causi per se ad speciem actus peccaminosi, cui esset attribuendum, quod potius talis species produceretur, quàm alia species, quod est absurdum.

Dices: non determinaret nisi ad actum peccaminosum materialiter.

117 *Contra:* quia homo non est causa per se actus peccaminosi, nisi quatenus per se concurrat ad speciem actus materialiter sumpti, sic ut ipsi sit determinatio eius per se adscribenda: ergo si Deo sit adscribenda illa determinatio, ille erit causa per se, cui debet per se attribui etiam ipsa malitia.

Confirmatur hoc: quia illi potius adscribendum est aliquid necessariò sequens ad aliud, cui adscribendum est præcipue illud, ad quod sequitur necessariò, quàm illi cui non est adscribendum: ergo si Deo sit adscribendum, quod producat tale materiale, ad quod necessariò sequitur talis malitia, ipsi erit potius adscribenda malitia quàm causæ secundæ.

Probatur secunda pars: quia si ipse velit connaturali modo agere cum causa libera, non potest non producere illam speciem, quam ipsa vult; & idè vult illam speciem in talibus circumstantiis, quia causa secunda libera, quæ se determinat ad illam speciem, sicut idè vult talem spe-

ciem determinatam producere cum causa naturalis, quia causa naturalis connaturaliter loquendo determinata est ad talem speciem.

Confirmatur, quia aliàs determinatio ad peccatum non esset tribuenda causæ secundæ potius, quàm primæ; quod videtur absurdum.

QUESTIO X.

Virum causa secunda possit cum prima concurrere ad produ- cendos effectus supra suam naturam.

118 *In* hac quæstione involuitur celebris illa contro- versia de potentia obedientiali, quam aliqui asserunt esse in qualibet re creata ad producendum quamlibet aliam rem creatam. Potest autem quæstio hæc versari, tam de potentia obedientiali passiva, secundum quam scilicet aliquid possit aliquam formam recipere, quæ nec esset ipsi connaturalis, nec producibilis in ipso naturaliter, quàm de potentia obedientiali activa secundum quam aliquid possit producere aliud, quod naturaliter non posset producere.

Quid po- tentia obe- dientialis activa, quid passiva.

Prima sententia est, non dari in creaturis potentiam obedientialem actuam vlllo modo; bene tamen passivam. Hanc videntur tenere Thomistæ communius, & præsertim *Martinez p. 2. tom. 1. Caraffa disp. 2. de concursu:* eam etiam adscribit *Mastrius* Scotistis ferè omnibus: sed certum est Scotistas non negare intellectum habere virtutem actuam ad visionem beatificam, quam tamen nequit absque supernaturali auxilio producere; vnde si potentia obedientialis activa dicatur illa, secundum quam potest res aliquid producere, quod naturalibus viribus solis absque supernaturali auxilio producere nequit, non possent negare potentiam obedientialem actuam aliquam in creatura aliqua: propterea iudico, quod Scotistæ vel negant solum potentiam obedientialem in sensu tertie sententiae inferius ponendæ, vel in alio aliquo sensu, in quo tantum habent quæstionem de nomine cum admittentibus talem potentiam.

119 *Secunda sententia est* dari potentiam obedientialem actuam in omnibus rebus ad omnia producenda, & passivam ad omnes formas recipiendas. Ita *Suarez p. 3. disp. 31. §. 5. & disput. 43. M. r. §. 4. Hurtadus disp. 9. Phys. Arriaga disp. 9. Phys. num. 72.* qui eam dicit esse ferè omnium Iesuitarum recentiorum.

Est autem hæc advertendum, quod aliqui dicunt potentiam obedientialem actuam hanc esse qualitatem aliquam superadditam rei: sed qui sic eam explicant non possunt dicere, quod actu sit in omnibus rebus, sed quod possit esse in illis. Alij verò dicunt eam esse aliquid identificatum cuilibet creaturæ, & propterea quamlibet creaturam habere virtutem actuam inchoatam ad producendum quamlibet rem producibilem, non tamen sufficere illam, ut dicatur causa principalis, etiam partialis, cuiuslibet effectus, sed instrumentalis tantum; quod tamen existimo spectare potissimum ad quæstionem de nomine.

Tertia denique sententia est dari potentiam obedientialem actuam in aliquibus rebus ad aliquos effectus, non tamen in omni re ad omnem effectum. Hanc in re puto esse sententiam Scotistarum omnium, & expressè tenet *Mastrius disp. 7. qu. 6. art. 5.* Scorum citabo in conclusionibus: eam sequuntur *Coninch. de Sacramentis qu. 62. arr. 4. Turrianus opusc. 2. disp. 2. Morisani disp. 3. phys. 4. q. 28. Vasquez 3. p. d. 132. num. 95.* Vnde nisi hos Iesuitas inter recentiores non reputet *Arriaga*, mirum est, quod suam sententiam ferè omnium Iesuitarum asserat.

CONCLUSIO I.

120 *D*atur potentia obedientialis passiva in qualibet re ad quamlibet formam, qua non dicit essentialem dependentiam actualem ad determinatum subiectum. Hæc videtur mihi communissima contra *Mastrium* supra.

Datur po- tentia obe- dientialis passiva ad aliquas formas.

Probatur, quia nõ videtur esse maior improprio vilius subiecti ad vllam formam talem, quàm naturæ humanæ ad vñionem hypostaticam; sed in natura humana est talis potentia obedientialis ad vñionem hypostaticam

vt

ut est de fide; ergo datur talis potentia in quolibet subiecto ad quamlibet formam, quam naturaliter nequit recipere, & quæ non dicit essentialiter ordinem actualem ad determinatum subiectum.

Dixi autem, *quam naturaliter nequit recipere*, quia potentia passiva, quam habet res ad formas, quas naturaliter potest recipere, non est obediens, sed potius naturalis. Dixi etiam, *quæ non dicit essentialiter ordinem actualem ad determinatum subiectum*, quia unum subiectum nequit recipere in se relationes alterius subiecti; nec actus vitalis ex suppositione, quod essentialiter dependeret à potentia vitali, cuius est actus, potest recipi etiam supernaturaliter in alio subiecto, quam in illa potentia, an autem sic dependeat, dicemus alibi.

Confirmatur conclusio, quia forma spiritualis potest esse in subiecto materiali, ut patet in anima, quæ recipitur in corpore; & forma supernaturalis in subiecto naturali, ut patet in gratia, quæ recipitur in anima; & forma etiam materialis in subiecto spirituali, ut patet ex dictis in Logica; ergo non debet negari, quin in qualibet re, talis forma supernaturaliter recipi debeat.

121 *Dices cum Maestro*, antecedens huius confirmationis esse contra Scotum in 4. d. 1. quæst. 3. ubi negat spiritualia recipi in corporeis, & d. 12. quæst. 2. ubi dicit nec lapidem posse recipere sapientiam, nec Angelum albedinem.

Respondetur, quantum ad primum locum Scotum non posse negare quin spiritualis forma possit recipi in corporeo, quandoquidem de facto anima recipitur in corpore; solum ergo dicit, quod spiritualis forma non possit poni cum extensione in corpore, quandoquidem sit indivisibilis; & quod non debeat de facto asseri, quod forma accidentalis spiritualis detur in subiecto corporeo, tota in toto, & tota in qualibet parte corporei subiecti, quia inquit ipsemet, *sola anima intellectiva ponitur taliter in corpore*; cum quo constat, quod de potentia absoluta possit forma accidentalis spiritualis poni taliter in subiecto.

Quantum ad secundum locum, dico Scotum intelligendum sic, ut velit tantum dicere, quod albedo non possit poni in Angelo sic, ut denominaret illum album, nec sapientia in lapide, sic ut denominaret illum sapientem; cuius ratio est, quod albedo non denominet album, nisi subiectum, in quo ponitur extenso modo, quo modo nequit poni in Angelo, qui est indivisibilis; nec sapientia denominat sapientem, nisi potentiam, quæ sapienter agere potest, qualis potentia non ponitur in lapide.

Confirmatur secundo conclusio, quia non potest assignari repugnantia in hoc, quod Deus posset, quancunque formam talem cuicunque subiecto coniungere per inhaesionem, aut informationem.

CONCLUSIO II.

122 *Datur in aliquibus rebus potentia obediens actui in ordine ad aliquos effectus, mediante qua concurrere possunt physice ad productionem talium effectuum, tanquam causa principalis, sed non tamen tanquam causa instrumentalis.* Hæc est tertia sententia, & à fortiori secunda, saltem quantum ad primam partem, colligitur autem ex Scoto in 3. d. 4. & omnibus principiis & locis, quibus probat intellectum concurrere, tanquam causam partialem physicam & principalem, ad visionem beatificam, & actus supernaturales.

Probat breuiter, quantum ad primam partem, quia intellectus habet talem potentiam in ordine ad actus supernaturales in substantia, fidei scilicet; ergo.

Probat autem antecedens, quia concurrat physice ad illos producendos, & non potest absque auxilio supernaturali illos producere; ergo habet talem potentiam. Vltimum antecedens, quoad secundam partem conceditur ab omnibus, & patet, quia aliàs actus illi non essent supernaturales in substantia. Probat idem antecedens quoad primam partem, tum quia in actibus illis reperitur vitalitas, quæ ipsis à nulla alia causa tribui potest; tum & magis præcipue, quia in actibus illis reperitur aliqua specialis ratio, ratione cuius ab intellectu debeant connaturaliter potius produci, quam ab illa

alia causa, aut potentia; tum quia nihil impedit quominus concurrat effectiue ad illos, ac etiam physice.

Probat conclusio quoad secundam partem, quia intellectus est perfectior, quam sit aut ipse actus supernaturalis, quem producit, aut habitus supernaturalis, quem dicunt aduersarij esse causam principalem talis effectus; nec aliquid impedit quominus dicatur causa principalis, respondetque ipsi aliqua formalitas propria in effectu, nimirum ratio intellectiōis, quæ secundum aduersarios ita exigit provenire ab intellectu, ut nec de potentia absoluta possit produci sine concursu intellectus; ergo debet dici causa principalis partialis; neque enim aliud quippiam ad talem causam requiritur: quod totum amplius probandum remitto in materia de actibus supernaturalibus ac visione beatifica, ubi etiam soluentur obiectiones, quæ non possunt esse quam Theologicæ.

123 *Obijciat*. Sequeretur, quod naturaliter posset videre Deum, & producere actus supernaturales: sed hoc est absurdum, ergo. Probat sequela, quia si habet virtutem physicam innatam, debetur ipsi connaturaliter concursus, quo reducat ipsam in actu, quando obiectum præsertim sufficienter proponitur, non minus, quam debetur aquæ concursus ad producendum frigus.

Respondet *Mastrus* disp. 7. quæ. 6. art. 5. ubi bis hanc obiectionem proponit, negando consequentiam, quia intellectus non habet virtutem completam respectu visionis, aut actuum supernaturalium, nec potest producere dispositiones exigentes connaturaliter ipsos: non debetur autem concursus ad effectum, nisi causæ, quæ habet virtutem completam sufficientem, vel quæ potest producere dispositiones sufficientes.

Hæc responsio non placet propter duo. *Primum* est, quia in probabili sententia debentur Angelo connaturaliter concursus ad producendas cognitiones naturales, & species ad illas requisitas quamvis non possit disponere se ad ipsas, nec habere virtutem completam productionem earum: ergo ut concursus debeat intellectui ad visionem, non est necesse ut habeat virtutem completam ad illam. Nec refert, quod *Mastrus* forte negaret antecedens, quia saltem antecedens est in controuersia, & absque necessitate una quæstio non est soluenda cum dependentia ab alia controuersia.

Secundum est, quod etiam nulla creatura habeat virtutem completam ad aliquem effectum, & tamen debetur ipsi concursus ad illum producendum, & principia necessaria, quando debite applicatur, etiam si non possit etiam disponere se ad ipsum, ut patet in aqua, quæ non est causa totalis frigoris in se producti, nec potest ad ipsum se disponere, & tamen debetur ipsi concursus ad ipsum producendum ablati impedimenti extrinsecis: ergo similiter posset debere intellectui concursus ac visionem & actus supernaturales, quamvis non sit causa totalis, & completa eorum secundum se absque concursu Dei, nec possit etiam se ad illa producenda disponere.

Respondetur ergo aliter negando antecedens, quia, ut supponendum est ex principiis fidei, illi actus sunt supernaturales in substantia: unde quamvis sit in intellectu actiuitas aliqua in ordine ad illos, non tamen sufficiens cum concursu vniuersali connaturaliter debito, sed indigens concursu particulari indebito, aliàs non essent supernaturales in substantia, ut patet.

CONCLUSIO II

124 *Non datur in qualibet re ad quamlibet rem potentia obediens actui.* Hæc est prima & tertia contra secundam: colligitur etiam expressè ex Scoto 4. d. 1. q. 1. & q. 5. & d. 4. q. 4. *Probari solet*, quia non omnes effectus continentur intra spheram actiuitatis cuiuscunque creaturæ; nec est proportionatus ipsis ergo nequit omnis creatura concurrere physice ad quoscunque effectus.

Non placet hæc probatio, quia petit principium in antecedenti: hoc ipsum enim est in controuersia, an omnis effectus sit proportionatus cuilibet creaturæ quantum ad potentiam

Cut albedo in Angelo non faceret ipsum album.

Datur in aliquibus rebus potentia obediens actui.

Non datur in qualibet re ad quamlibet rem potentia obediens actui.

potentiam obedientialem, & an contineatur intra sphaeram actiuitatis eius, quatenus dicit talem potentiam: id enim asserunt aduersarij, nos negamus.

Probat Valsquez conclusionem, quia illa potentia, vel esset supernaturalis, vel naturalis; non naturalis, quia est ad effectus supernaturales; non supernaturalis, quia identificatur entitati naturali creaturæ.

Hæc etiam probatio non placet, quia est totaliter de nomine: & respondetur breuiter, posse illam esse & supernaturalem, & naturalem sub diuersis considerationibus; naturalem quidem capiendò potentiam naturalem pro ea, quæ reperitur in entitatibus naturalibus; illa enim in tali entitate reperitur; supernaturalem autem, quia nequit reduci ad actum absque auxilio supernaturali. Quomodo autem simpliciter debeat vocari, dependet à quæstione de nomine.

Confirmatur hoc, quia simili argumento posset impugnari potentia obedientialis, quam habet intellectus ad visionem beatificam, & actus supernaturales, quam asserimus conclusionem præcedenti: ergo sicut contra illam non valet, neque valere debet contra aduersarios huius conclusionis. Antecedens patet applicando argumentum ad potentiam illam intellectus: nam vel est naturalis, vel supernaturalis: non supernaturalis, quia identificatur intellectui, qui est ens naturalis ordinis; non naturalis etiam, quia respicit effectus supernaturales.

Omitto alias probationes æquæ inutiles, quarum aliquas adducit *Mastrius & Arriaga*.

125 *Probat conclusio melius, primò*, quia sequeretur quod aqua posset producere calorem: sed hoc est absurdum, ergo.

Probat minor, quia absurdum videtur, quod aliqua entitas habeat inditam virtutem destructiuam sui ipsius, seu productiuam qualitatum sibi nociuarum & tendentium in destructionem eius: sed si aqua haberet potentiam obedientialem productiuam caloris, haberet talem virtutem inditam sibi, calor enim inuat summopere ad destructionem aquæ, eam expellat frigus, quod est ipsi connaturale: ergo absurdum est, quod habeat talem virtutem.

Confirmatur, quia si aqua haberet virtutem vllam sibi inditam productiuam caloris non posset conuinci, quin naturaliter concurreret ad eius productionem, quando calefit aqua: quod videtur valde inconueniens.

Probat sequela, quia nihil impediret, nisi quod expellat calorem remotis causis extrinsecis, à quibus calefit: sed hoc non impedit, quia posset habere virtutem adæquatam productiuam frigoris, & inadæquatam tantum caloris productiuam, vnde separatis aliis causis posset producere frigus, & non posset calorem, nisi præsentibus aliis causis.

Dices: aliæ illæ causæ essent ex se sufficientes: non ergo debet adscribi causalitas aliqua aquæ circa calorem.

Respondeo primò, posse negari antecedens, si aqua haberet talem virtutem.

Respondeo secundo, negando consequentiam, quia sæpè duæ causæ concurrunt ad vnum effectum, quem vna posset producere: cur ergo quamuis causæ illæ extrinsecæ possent sufficere, non posset tamen aqua cum illis concurrere?

126 *Probat secundò*, adhuc meo iudicio fortius, quia si aqua, verbi gratia, habet virtutem partialem inditam sibi ad producendum ignem cum concursu aliquo, quem sibi præstare potest Deus, sequeretur, quod naturaliter posset ipsum producere: sed hoc est absurdum, vt omnes fatentur: ergo.

Probat sequela maioris, quia idèd producit naturaliter frigus, aut quodcumque aliud, quia producit ipsum mediante virtute innata; & quia ipsummet non est supernaturalis in substantia, nec altioris ordinis, quàm sit aqua: sed ignis non est supernaturalis in substantia, neque altioris ordinis, quàm aqua: ergo si habet virtutem innatam ad ipsum producendum, sequitur, quod naturaliter possit ipsum producere.

Dices, vt producat naturaliter, debere ipsum producere

per potentiam naturalem, & non per obedientialem: vnde quia per potentiam naturalem potest producere frigus, & non nisi per obedientialem, calorem aut ignem, licet producat ipsa per virtutem innatam, non producit illa naturaliter.

Contra: non potest assignari ratio cur illa potentia innata, qua potest concurrere ad producendum calorem, sit obedientialis potius quàm altera, qua potest producere frigus.

Dices, primam esse obedientialem, quia non est nata concurrere, nisi cum concursu extraordinario, ac indebito, atque adeo supernaturali, ac miraculoso; secundam vero esse naturalem, quia nata est concurrere cum concursu ordinario, ac debito.

Contra: quia si habet virtutem innatam producendi vtrumque, non potest assignari, cur concursus ad vtrumque non sit æquè connaturalis, ac debitus, quantum est ex parte aquæ: quod autem vnus concursus præstetur ordinariè, & alter extraordinariè tantum & raro, nihil facit ad propositum: id enim oritur ex decreto Dei, ac dispositione, quam de facto habuit ab æterno; vnde si aliter disposuisset, ordinando scilicet concurrere cum aqua semper ad calorem, & non nisi raro & extraordinariè ad frigus, aqua non posset producere frigus, nisi cum concursu extraordinario, & produceret calorem cum concursu ordinario.

Quæro ergo tum, an esset dicendum, quod naturaliter per potentiam naturalem produceret calorem, & supernaturaliter, ac potentiam obedientialem frigus. Si dicatur, quod sic: ergo quantum est ex parte aquæ, æquè petit connaturaliter producere vtrumque, quod est absurdum. Si dicatur, quod non; ergo alia ratio assignanda est præter hoc, quod ad vnum non concurrat, nisi per concursum ordinarium, & ad alium per concursum extraordinarium: talem autem rationem non facile assignabunt aduersarij, si ad vtrumque habet virtutem innatam.

127 *Dices*: aquam exigere concursum ad frigus & non ad calorem, quia frigus est conseruatiuum aquæ, non vero calor.

Contra, quia si haberet virtutem innatam productiuam caloris in se ipso, etiam calor deberet esse conseruatiuus ipsius.

Confirmatur hoc, quia ideo frigus dicitur conseruatiuum aquæ, quia videmus aquam manere dum manet frigus, & eam etiam reducere ordinariè se ad frigus ablatis impedimentis: sed si Deus ordinariè decerneret concurrere cum aqua ad producendum calorem in se, & alio, ablatis impedimentis, aqua ordinariè reduceret se ad calorem quàm ad frigus, & conseruaretur etiam conseruato calore: ergo ex hoc capite non debetur potius concursus Dei aquæ ad producendum frigus, quàm calorem, quantum est ex parte aquæ.

Dices tertio, ex hoc discursu sequeretur, quod intellectus tam naturaliter concurreret ad actus supernaturales, quàm ad alios actus, quandoquidem habeat virtutem innatam ad vtroque.

Respondeo, negando sequelam, quia eo ipso, quo actus sunt supernaturales in substantia, debent excedere potentiam naturalem intellectus; vnde non poterit ad illos concurrere nisi per concursum aliquem supernaturalem; sed in casu nostro ignis non est supernaturalis in substantia; quare non est, vnde colligatur, quod si aqua habeat virtutem innatam partialiter productiuam ipsius, non possit per potentiam naturalem, absque aliquo auxilio supernaturali ipsum producere.

Dices quarto, saltem sequeretur, quod D. Virgo concurreret per potentiam naturalem ad organizationem corporis Christi Domini factam in instanti, aut in breuiori tempore, quam solet naturaliter fieri; & similiter quod calor posset per potentiam naturalem concurrere ad productionem instantaneam caloris in subiecto, in quo naturaliter non solet sic produci: sed hoc videtur falsum & contra Doctorem in 3. d. 4. Probat sequela, quia organizatio illa non est supernaturalis in substantia, neque etiam calor instantaneè productus est sic supernaturalis.

Respondeo concedendo sequelam maioris & negando id

An B Virgo concurreret per potentiam naturalem ad organizationem Christi.

id esse aut falsum, aut contra Doctorem: non quidem falsum, quia nulla ratio assignari potest, cur falsum sit; non etiam contra Doctorem, quia licet dicat quod D. Virgo fuerit in potentia tantum obedientialis ut esset mater Christi, tamen capit ibi potentiam obedientialem, non ut dicit potentiam, quæ vere secundum se sit supernaturalis, sed ut dicit potentiam quæ non potest habere effectum nisi cum concursu extraordinario & præter leges vniuersales de facto positas & statutas. Itaque censeo, concursum quem Deus exhibuit D. Virgini ad organizationem Christi, & quem exhiberet calori ad producendum calorem in instanti, quantum est ex parte D. Virginis, & caloris, æquè connaturalem esse ipsi applicato obiecto, ac concursum, qui de facto exhibetur matribus ac calori ad organizationem & calefactionem quæ ordinariæ sit; sed illum de facto dici extraordinarium & miraculosum, hunc verò ordinarium & connaturalem, quia ille rarissime confertur, & habet oppositum modum concurrendi, quàm habet concursus communis & ordinarius: & licet hoc fortè difficile apparebit multis; tamen credo difficilius esse ipsi assignare rationem, cur vnus potius quàm alter exigatur à causis illis, aut sit ipsi connaturalis.

Responderi potest secundo negando sequelam; quia licet organizatio, & productio caloris sint naturales in substantia: tamen modus ille producendi ipsos est supernaturalis, vnde ad illum modum non possent concurrere causæ illæ, nisi per virtutem vere obedientialem; neque est inconueniens quod causa potens connaturaliter attingere aliquem effectum quoad substantiam, possit miraculose attingere aliquem modum eius: quamuis esset valde inconueniens quod causa posset attingere substantiam aliquam naturalem miraculose per virtutem innatam, quam connaturaliter nulla ratione posset attingere.

129. Probatur tertio conclusio: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate autoritatis aut rationis: sed nulla necessitas ex his est ad ponendam hanc potentiam obedientialem: ergo non debet statui.

Dices, necessitatem eius esse ad hoc, quod Deus possit per creaturam quamcumque quemcumque effectum producere.

Contra, quia non est necessitas vlla, quod possit Deus hoc facere.

Dices secundo, id arguere in ipso maiorem perfectionem, quod sufficit pro necessitate; quia necessarium est Deo attribuire omnem perfectionem possibilem.

Contra: quia non est perfectionis in Deo posse facere per creaturam, nisi creatura habeat ad hoc virtutem, quia sine virtute nequit id facere: ergo prius est colligendum, quod creatura habeat talem virtutem, quàm quod Deus per creaturam possit illud facere, aut quod id sit maioris perfectionis in Deo.

Confirmatur hoc: non est perfectionis maioris in Deo, quod possit facere chimeram, aut quod possit efficere ut id, quod est præteritum, non sit præteritum; quia illa sunt impossibilia: ergo prius colligendum quod aliquid sit possibile, quàm colligatur quod sit perfectionis in Deo illud facere.

130. Dices tertio: Colligitur possibilitas illius virtutis ex eo, quod non repugnat, hoc modo: non repugnat illam virtutem esse in creatura: ergo datur in ipsa.

Aliqui negant consequentiam, quia multa non repugnant esse, quæ non sunt: non repugnat enim Petrum esse nigrum, aut doctum, aut sanctum, qui tamen posset non esse aut niger, aut doctus, aut sanctus.

Sed qui sic respondent, non intelligunt vim replicæ, prout adhiberi solet à Doctore; neque enim volunt quod omne illud, quod non repugnat, sit, sed quod omne illud quod non repugnat identificari alicui, debeat necessario esse ipsi identificatum; quod quidem certum est mihi, & ratio est manifesta, quia si non identificatur alicui, omnino repugnat ut identificetur ipsi; quæ enim realiter distinguuntur, nequeunt identificari de potentia absoluta, ut est notum ex terminis: ergo, quod non repugnat identificari, identificatur necessario: quia si non identificaretur, repugneret identificatio eius, ut dixi. Ita-

Quidquid non repugnat identificari alicui identificatur illi.

que in propositionibus contingentibus non valet illa consequentia, non enim sequitur, non repugnat hominem esse album, ergo est albus: sed bene valet in propositionibus necessariis: si enim non repugnat hominem esse necessario animal aut album, omnino debet esse animal aut albus.

Replica ergo prædicta consistit in hoc: non repugnat virtutem seu potentiam obedientialem, identificari cumque creatura: ergo identificatur ipsi.

131. Ad quod respondeo negando antecedens: repugnat enim ex dictis: nam sequeretur quod esset naturalis, & quod non esset naturalis; quod deberetur ipsi concursus Dei connaturaliter, & quod non deberetur: deberetur enim, quia est innata aquæ, & eiusdem ordinis cum multis effectibus ex illis, quos respiceret; non deberetur ex hypothesi. Deinde esset connaturalis creaturæ, & non esset: esset quidem, quia identificatur ipsi realiter, ut supponitur: non esset autem, quia tenderet in destructionem ipsiusmet creaturæ, ut patet in aqua, si haberet virtutem productiuam caloris aut ignis. Per quod patet ad principale fundamentum aduersariorum, quod in non repugnantia huius virtutis, & in eo quod cederet in maiorem perfectionem potentie Diuinæ, fundatur. Sed libet tamen simili argumento contra eos uti.

132. Probatur ergo ultimo conclusio: quia non repugnat quod Deus creet aliquam creaturam, quæ sit ita limitata virtutis, ut non possit omnes effectus producere, & id videtur cedere in maiorem perfectionem Dei: neque etiam repugnat quod negatio talis virtutis, aut principium aliquod aut formalitas aliqua positiva, ad quam sequatur necessario talis negatio, necessario comitetur aliquam creaturam: ergo dicendum est quod talis negatio aut talis formalitas positiva, aliquam creaturam comitetur; & quod possibile sit creatura, quæ sit ita limitata virtutis, ut non possit concurrere ad quoscumque effectus. Hanc consequentiam si negauerint aduersarii, negari potest tam facile illa consequentia: non repugnat dari talem virtutem in creaturis: ergo datur.

Dices cum Arriaga non esse similem rationem virtutis quæ casus, quia in casu aduersariorum admittendo potentiam obedientialem, dilatur potentia Dei, poterit enim producere per quascumque causas quoscumque effectus: in casu autem nostro restringitur, quia non poterit per quascumque causas quoscumque effectus producere.

Contra primo, quia non debet extendi potentia Dei, nisi ad res posibles; vnde prius cognoscendum est, quod in creaturis sit illa potentia, quàm dilatanda sit potentia Dei ed vsque, ut per quascumque causas quoscumque producat effectus.

Contra secundo, quia non magis extenditur potentia Dei in casu aduersariorum quàm in nostro; nam in casu nostro potest producere aliquas creaturas, quas non potest producere in casu aduersariorum, nempe illas quæ non haberent potentiam obedientialem; imò magis videtur extendi in sententia nostra quia in sententia nostra potest producere aliquos effectus, qui possint à causa secunda produci, & aliquos, qui non possint; & potest producere aliquas creaturas, quæ habent potentiam obedientialem ad aliquos effectus, & quæ habent solam potentiam naturalem ad alios effectus, & non habent neque obedientialem, neque naturalem ad alios effectus: quæ varietas effectuum videtur habere maiorem perfectionem & dilatationem, seu extensionem omnipotentie diuinæ, quàm si non posset producere vllas creaturas, nisi quæ haberent potentiam obedientialem.

133. Obicitur secundo ex Arriaga: datur potentia obedientialis passiva in omnibus rebus ad omnes formas: ergo & potentia actiua ad omnes effectus. Probat consequentiam, quia difficilius videtur esse, ut aliqua forma dependeat à subiecto, quod ex se non respiciebat, quàm ut aliquis effectus dependeat à causa extrinseca, ad quam non dicebat ordinem, quia imperfectior modus dependendi est dependere à causa materiali, quàm à causa efficiente.

Respondeo primo negando antecedens, quia, ut ex dictis patet,

parer, sunt plurimæ formæ, quæ non possunt, nisi in determinatis subiectis recipi; unde retorqueri posset argumentum: non datur in qualibet re potentia obedientialis passiva ad quamlibet formam; ergo neque activa ad quemlibet effectum.

Respondeo secundo, negando consequentiam cum sua probatione, quæ si valeret, sequeretur omnino, quod quemadmodum calor naturaliter dependet ab aqua, in qua naturaliter potest produci ab igne tanquam à subiecto, similiter posset naturaliter produci effectus ab aqua; si enim difficilius est, ut dependeat à subiecto non connaturali, quam à causa non connaturali, quandoquidem dependeat de facto, tanquam à subiecto, à subiecto non connaturali, dependere etiam poterit, tanquam à causa efficiente.

Confirmatur hoc: de facto materia prima habet virtutem materiale respectu omnium sublunarium materialium, & nulla causa effectiva habet virtutem effectivam respectu omnium illorum; ergo facilius est dilatare virtutem materiale quam effectivam, & consequenter ex eo, quod aliquid habet virtutem materiale respectu omnium, non sequitur quod habeat effectivam.

Adde: licet quælibet res posset recipere quamlibet formam, iuxta conclusionem primam, non tamen necesse est, quod quælibet forma possit dependere à qualibet re, tanquam à causa materiali influente (ut supponitur in obiectione) quia possent multæ formæ ex illis creari.

134 Obijciat tertio ex eodem: intellectus habet potentiam obedientialem activam, qua mediante possit accedere auxilio divino, ac concursu particulari indelbitio producere aliquid, quod excedat suas vires naturales; ergo & aqua ad producendum calorem habet talem virtutem.

Et si dicat consequentiam non valere, quia in actibus supernaturalibus, quos potest sic producere intellectus, datur aliqua formalitas, ratione cuius habent proportionem sufficientem, ut possint sic dependere ab intellectu, nempe formalitas vitalitatis: calor vero nullam habet formalitatem, ratione cuius possit habere proportionem sufficientem ad hoc, ut dependere possit ab aqua.

Contra virgeri potest, quod in hac responsione petatur principium: supponitur enim, quod vertitur in controversiam, an scilicet aqua habeat talem proportionem, vel ratione alicuius formalitatis, vel ratione omnium. Deinde formalitas vitalitatis in acta supernaturali sufficit, ut possit supernaturaliter produci ab intellectu, licet illa formalitas coniungatur cum aliis formalitatibus, quæ naturaliter attingi non possint ab intellectu; quia intellectus potest attingere naturaliter formalitatem vitalitatis ut sic; ergo similiter formalitates accidentis, & primæ qualitatis ut sic, quam potest naturaliter attingere aqua in frigore, quod producit, poterit sufficere, ut possit supernaturaliter attingere calorem, in quo reperitur illa formalitas, licet in calore coniungatur cum aliis formalitatibus, quas naturaliter nequit attingere.

135 Respondeo ergo aliter negando consequentiam; primo, quia constat nobis ex Scriptura & Patribus dari talem potentiam in intellectu in ordine ad aliquos actus supernaturales; non autem constat idem de aqua respectu caloris; & ex alio capite non repugnat, quod una res habeat talem virtutem, quamvis repugnaret, quod alia res habeat illam.

Secundo, quia sequitur inconueniens ex eo, quod aqua haberet illam potentiam ad calorem, nempe quod haberet virtutem destructivam sui, & quod calor esset ipsi ex parte sua tam connaturalis, quam frigus; non autem sequitur tale inconueniens ex eo, quod intellectus habeat virtutem obedientialem productivam actuum illorum supernaturalium.

Tertio: quia quandoquidem intellectus habeat virtutem naturalem attingendi Deum, & obiecta actuum supernaturalium per cognitionem abstractivam, & possibile sit cognitio supernaturalis eiusdem obiecti, non vide-

tur difficile, quod intellectus possit adiuvari ad producendas cognitiones illas supernaturales, tam abstractivas, quam intuitivas; imo est tanta congruitas in hoc, quod saltem valde probabiliter suaderi possit possibilitas cognitionis intuitivæ ex cognitione naturali, quam habemus de ipso. Imo cum non repugnet cognitio supernaturalis producibilis à creatura, quandoquidem nulla creatura potius possit illam producere, quam intellectus, dicendum est, quod intellectus habeat talem virtutem obedientialem productivam illarum cognitionum supernaturalium. At aqua nullam habet actionem naturalem tendentem in calorem aut ignem; quare non est, unde colligamus vel probabiliter quod possit calorem etiam supernaturaliter producere. Et iuxta hanc doctrinam probari potest facile illud quod communiter dici solet ab authoribus nostræ sententiæ, quod obiecta actuum supernaturalium omnium sint intra obiectum adæquatum intellectus, & ipsimet actus intra sphaeram actiuitatis eius, atque adeo quod possit producere tales actus, ac tendere in talia obiecta; calor autem non sit intra sphaeram actiuitatis aquæ; quandoquidem enim tendat intellectus naturaliter in illa obiecta, debent dici contineri sub obiecto adæquato eius: & hoc supposito, ut dixi, nulla est difficultas in elevatione eius ad actus quoscunque perfectissimos, qui haberi possint de talibus obiectis: quandoquidem vero aqua non tendat naturaliter vlllo modo in calorem, non est unde colligatur, quod sit intra actiuitatem eius, aut proportionatus ipsi tanquam effectus.

Ex eadem doctrina colligi etiam potest cur oculus corporeus non possit videre Deum aut producere visionem eius, de qua late agi solet in Theologia; quandoquidem enim non habeat vllum actum naturalem, qui tendat in Deum vlllo modo, non est unde colligi possit, quin Deus sit totaliter extra obiectam adæquatam eius, sic ut nec diuinitus eleuari possit ad eum producendum.

136 Obijciunt præterea dari potentiam obedientialem in Sacramentis sensibilibus ad producendam gratiam: ergo datur talis in qualibet re ad producendam quamlibet rem; quia non videtur vlla res minus proportionata ad producendam quamcumque aliam rem, quam Sacramenta illa sunt ad producendam gratiam. Antecedens probatur ex Patribus, & Conciliis dicentibus quod Sacramenta producant gratiam.

Respondeo breuiter, quia hæc obiectione est Theologica, & tractanda in materia de Sacramentis negando antecedens, & distinguendo eius probationem: physice vel moraliter, concedo: physice, nego. Et sane quod Sacramenta non causent physice gratiam mihi certissimum est, non solum ea certitudine, quæ constat quod non detur huiusmodi potentia obedientialis activa in Sacramentis, & quod creatura nō possit creare, sed multo maiori ex eo scilicet quod Sacramenta nō existunt quando producit gratia.

Resolutum iam est, in quibusdam rebus dari potentiam actiuam obedientialem ad aliquos effectus, non tamen ad omnes, neque in omnibus; modo restat examinandum, quid sit illa potentia, & in quibus, ac ad quos effectus detur.

CONCLUSIO IV.

137 Potentia obedientialis est virtus ipsa activa creatura identificata, quatenus potest cum auxilio supernaturali & extraordinario concurrere ad effectum, quem sine tali auxilio non posset attingere. Hæc est communior contra Thomistas illos, qui putant eam esse accedens ali- quod superadditum.

Probat autem sufficienter, quia nihil impedit, quominus per illam virtutem identificatam possit attingere cum auxilio superaddito tales effectus: ergo nihil impedit quominus illa virtus dicatur obedientialis potentia & ex alio capite absque necessitate multiplicaretur aliquid superadditum præter ipsum auxilium, quod cum potentia obedientiali requiritur.

Confirmatur, quia intellectus secundum se immediate attingit actus supernaturales: tum quia alias non essent vitales, nec intellectus requireretur ad ipsos, nisi materialiter, & per accedens, sicut aqua requiritur ad calefa-

Cur oculus corporeus nequeat videre Deum.

Quid sit potentia obedientialis.

T

calefa

calefactionem, quæ fit, quando aqua calida calefacit: tum quia nihil impedit quominus sic concurrat tanquam causa partialis: licet enim actus sit superioris ordinis, quia supernaturalis, hoc non impedit, quominus intellectus partialiter concurrat: nam eo ipso erit actus supernaturalis, & altioris ordinis quod requirat auxilium supernaturale in substantia, quantumvis procedat ab alia causa, quæ non sit supernaturalis.

CONCLUSIO I.

In quibus debet poni potentia obediens, & solis debet poni potentia obediens, quæ possunt habere actus circa aliquod obiectum naturaliter, circa quod possunt haberi ab iisdem potentiis actus perfectiores, quos naturaliter nequeunt habere; & in illis etiam quæ possunt producere aliquos effectus naturaliter aliquo modo, qui tamen alio modo ab ipsis possunt provenire quam naturaliter procedunt. Hæc est conformis principiis positis conclusione tertia: & patet quia nulla alia ratione potest colligi quod detur in vllis, quam in huiusmodi: in huiusmodi autem quod poni debeat, probatur tum exemplo intellectus, & potentia generatiuæ Virginis, quæ concurrebat ad organizationem corporis Christi in instanti, & etiam quia nihil impedit quominus in huiusmodi ponatur: nec hoc indiget meo iudicio alia meliori probatione.

Quod si queras, an illud auxilium quo compleri debeat potentia obediens, debeat esse intrinsecum illi, nec ne.

Respondetur posse esse intrinsecum, sicut de facto in fidelibus in quibus ponuntur intrinsece habitus supernaturales communiter, tanquam complementa intellectus & voluntatis in ordine ad actus supernaturales; & in Beatis, in quibus intrinsece ponuntur lumen gloriæ in ordine ad visionem beatificam, & habitus charitatis in ordine ad amorem beatificum. Vel etiam potest esse extrinsecum, ut ipsamet omnipotentia Dei in actu primo, & concursus specialis supplet defectum concursus compingit in intrinseci, sicut contingit in iis, qui per actus supernaturales disponunt se ad recipiendos habitus supernaturales: de quo fufius agi solet in Theologia: & sufficit modo pro principio ad utrumque probandum, quod non implicet utroque modo compleri potentiam illam, & quod de facto sic fiat, ut patet in exemplis allatis.



DISPUTATIO X.

De Causa Exemplari, Finali, & Instrumentali.

ONIVNGO in vnam disputationem omnes has Causas, quia pauca de iis consideranda sunt, & ad vitandam nimiam disputationum multiplicationem.

QVÆSTIO I.

Quid sit Causa Exemplaris, & ad quod genus causæ reduci debeat.

Quoad primam partem huius quæstionis, potissima difficultas est, an exemplar sit ipsamet cognitio, quam habet artifex agens exemplariter; an vero obiectum talis cognitionis: circa quam difficultatem communior sententia Thomistarum cum suo Doctore 1. p. q. 25. a. 1. est quod exemplar sit conceptus formalis seu cognitio artificis: quos sequitur Suarez disp. 25. met. Fonseca 7. met. c. 8. q. 2. Ruminus hic tract. 6.

Secunda sententia est quod exemplar sit conceptus obiectiuus, seu obiectum, quod intuetur artifex per cognitionem, dum operatur, & hoc vniuersaliter, tam in creatis, quam in Deo. Hanc tenet Doctor. 1. d. 35. quem præter suos communiter citatos à Mastro disp. 7. n. 1. sequitur Arriaga, disp. 8. s. 8.

Tertia sententia media asserit causam exemplarem creatam seu exemplar, quod respicit causam creatam, esse conceptum obiectiuum non formalem, causam vero exemplarem seu exemplar, quo vitatur Deus, esse vel suam cognitionem, vel essentiam diuinam. Hæc est Molinae 1. p. q. 1. disp. 2. Vasquez disp. 71. 1. 2.

CONCLUSIO II.

Exemplar seu Idea est id, ad quod respicit causam efficiens, dum operatur, ut ad eius imitationem producat effectum. Hæc descriptio in re est communis & conuenit cum aliis, quæ adduci solent ex mente Philosophi & Doctoris.

Probatur autem quod sit bona, quia omni & soli conuenit, & sufficienter declarat naturam exemplaris seu ideæ, ut patet ex eius declaratione. Dicitur, ad quod respicit artifex seu causa efficiens dum operatur, quia in hoc conuenit cum fine, quia finem etiam respicit artifex. Dicitur, ut ad eius imitationem effectum producat, ut distinguatur à causa finali, quæ respicitur quidem ab efficiente, sed nō ad hunc finem. Hic quæri solet qua cognitione respici debeat exemplar: & communiter asseritur, quod cognitione intellectuali, unde tenetur solas causas efficiētes intellectuales uti exemplari in operando: sed tamen, quia experientia constat Simias ad imitationem actionum humanarum facere multa, potest dici, quod ad exemplariter perfecte agendum requiratur cognitio intellectualis: sed quod sufficit cognitio sensitiua ad agendum exemplariter imperfecte; nec in hoc alia quæstio potest esse quam de nomine.

Quæri etiam solet ulterius, an causa agens per exemplar debeat esse causa libera. In quo etiam est alia quæstio de nomine, & mihi magis placet quod absolute, & simpliciter sit per accidens ad causam exemplarem, quod utens illa sit agens liberum nec ne, & quod sufficiat quod conetur effectum ad imitationem exemplaris sibi per cognitionem propositi producere. Dixi conetur producere effectum ad imitationem; quia non est necesse ut actu sic producat, quia posset fieri, quod propter imperitiam, aut defectum instrumentorum non posset producere effectum sic ut imitetur, & tamen ageret exemplariter; sufficit ergo quod conetur imitari exemplar dum operatur.

CONCLUSIO III.

Idea seu exemplar non est conceptus formalis, quam habet agens: sed conceptus obiectiuus, quem cognoscit conceptu formali. Hæc est secunda sententia contra primam, & tertiam.

Probatur primo ex Philosopho 7. met. text. 26. ubi ait sanitatem corporis procedere ex sanitate, quæ est in anima; sed sanitas quæ est in anima, id est, illa quam respicit medicus dum conatur restituere infirmo sanitatem, est causa exemplaris; & non est conceptus formalis; neque enim vllus vnquam vocauit conceptum seu cognitionem sanitatis sanitatem; sed est ipsamet sanitas obiectiua; ergo exemplar est conceptus obiectiuus non formalis.

Probatur secundo ratione, & confirmatur præcedens probatio: Illud est exemplar & idea operis faciendi, quod agens respicit & intuetur, dum operatur: sed patet experientia, quod non respiciat suam cognitionem, sed obiectum aliquod aliud; ergo illud obiectum quod est, quod vocamus conceptum obiectiuum, est exemplar.

Respondet Suarez, respicit ipsamet cognitionem per aliam cognitionem reflexam aliquando, quamuis quis id non aduertat: & aliquando per eandem ipsam cognitionem obiecti, quæ reflexa est supra seipsam.

Sed contra: præter quam quod gratis asserat cognitionem respici per aliam cognitionem quæ non aduertitur: si enim non aduertitur, ad quid deferuit, seu unde colligi potest quod habeatur talis cognitio: Præter, inquam, hoc, si nō daretur vlla alia cognitio reflexa formaliter, aut si ipsamet cognitio directa obiecti non esset virtualiter reflexa, sed sufficeret solum modo ad representandum obiectum, & sufficienter determinaretur agens ad producendum

Quid sit exemplar.

Quæ causa agit exemplariter.

An respiciat.

Idea seu exemplar non est conceptus formalis, sed obiectiuus.